FRANCISCI SVARES
AVENIONENSIS IVRISCONS.

AD

SANCTISS. ET BEATISSIMVM PATREM SIXTVM QVINCTVM PONTIFICEM MAXIMVM.

PANEGYRICVS PRIMVS.

SVPERIORVM PERMISSV.



ROMAE,

In ædibus Populi Romani. 1587.

Apud Georgium Ferrarium.


SIXTVS QVINTVS PONTIFEX MAXIMVS
Ora Deo similis Magni depingere SIXTI
Artificis potuit nobilis arte labor,
Ipsum non potuit SIXTVM; quid ni? quia totus
Orbis ei tabula est, nec minor orbe capit.
F. S. A.

HOC ineuntis anni principio Pater Beatiſ. quod Deo immortali glorioſum, tibi illius Vicario felix, fauſtum, populo Chriſtiano proſperum, ac ſalutare ſit, perpetuisq. faſtorum annalibus ad ſempiternam nominis tui gloriam propagandum: liceat mihi per tuam humanitatem, atque clementiam vetus imitari inſtitutum maiorum; qui optimos, tuiq. ſimiles diuinitus adepti principes, & eis fauſta omnia precari incipiente anno, & eos veris, debitiſq. laudum ornamentis condecorare ſolebant; ſua erga illos hoc modo profitentes ſtudia, quæ eo reſpiciebant, vt qui bene facerent, ijdem optime audirent, & qui digniſſime, ijdem diutiſſime gentium, atque populorum omnium votis orbi terræ principes moderarentur. Et ſi autem non ſum neſcius, quantum, quamq. viribus meis impar onus ſuſcipiam, futurumq. ſentio, vt cum multa, atque magna de tuis diuinis virtutibus dixiſſe mihi videbor: tamen illis, qui plus me ſapiunt, ne minima quidem attigiſſe videar; eaq. ſic tractaſſe, quæ dixero, vt rerum præclariſſimarum dignitatem tenuitate orationis depreſſerim magis, quam ornarim. tamen, cum in ampliſſimum laudum tuarum campum reſpicio, ſic ſtatuo, cum nullius in tam vbere, latoq. dicendi argumento ieiunam, vel exilem reperiri orationem poſſe, tum vero eorum laudandum conſilium eſſe, qui magna, & præclara molientes, in medio curſu ipſo pondere fracti defecerunt. Nec enim meum hoc conſilium vnquam fuit, vt putem, poſſe me huic tantæ, quam nunc ſuſcipio, prouinciæ ſatisfacere: quin contra ita iudico, ſi omnes vnum in locum conferantur, qui & natura, & arte ad bene, copioſeq. dicendum plurimum valent: tamen rerum à te feliciſſime geſtarum gloriam oratione nunquam ſunt conſecuturi. Sed facit mihi animum incredibilis ſanctitatis tuæ humanitas, nec me de tuis laudibus, & gloria ſilere patitur illa vna, quam vnus vel maxime expertus ſum, beneficentiſſimi oris tui vel ſuauiſſima vox; qua vna cum totius ante actæ

vitę fructum longe maximum perceperim, ea imis in præcordijs excitari in me incendia ſenſi, quæ me nullam capere quietem ſinerent, priuſquam hoc meum qualecunque feliciſſimi principatus tui teſtimonium apud homines haberetur. leue illud quidem, ſi ex dignitate tua, vel ſua ſpectetur; ſed tamen aliquod futurum fortaſſe, vt auguror; ſi ex animo, quo illud ad ſanctiſſimos pedes tuos prouolutus offero, pendatur. Concede hoc mihi, Pontifex Beatiſs. orbis terræ ſecundum Deum Parens optime: vt à me ea excipias non inuitus; quæ ego ab omnibus, communi gentium omnium, tibi bene precantium ſermone excipio: fateor difficile, longeq. ſupra vires poſitum id eſt, quod conor: ſed tamen huiuſmodi eſt, vt meo exemplo excitentur doctiores, ad id, in quo ego defecero, ſi minus cumulate, perfecteq. præſtandum, ſaltem vberius, feliciusq. conandum. Nec enim turpe mihi vnquam ducam, ſic à reliquis in tuis laudibus celebrandis vinci, quando tu tui ipſius æmulus, qui reliquos mortales omnes virtute, felicitate, dignitateq. viciſti, te ipſum quotidie ſuperare glorioſum, laudabileq. ducis. Permitte mihi Chriſti Domini gregis Paſtor ſapientiſſime, quos ego in tuis ampliſſimis, & cæli benignitate aurea perpetuo vernantibus campis ſuauiſſimos innumerabilium virtutum tuarum flores legi, eos ego tibi conſecrem, ſicq. in conſpectu tuo ponam, vt eorum tu etiã amœniſſimum, ipſisq. diuis hominibusq. gratiſſimũ omnibus odorem percipias. Quod eo magis à Sanctitate tua mihi concedi æquum eſt, quo omnis ab hoc vno vltro à me ſuſcepto munere longiſſime abeſt adulationis ſuſpicio. Si enim rectiſſime dictum eſt ab ijs, quos vt omnis ętatum conſenſio ſapientes venerata eſt; ſic ego illos mihi magiſtros ad omnem vitam præfeci; expedire principes laudari, propterea quod ea ſit natura laudis, vt bonis, tuiq. ſimilibus quales ſint, malis autem quales eſſe debeant, demonſtret; qui iam optime, maxime Pontifex populorum, gentiumq. omnium incenſis ſtudijs in te optimo principe, ſibique ſingulari Dei munere orbi reſtituendo dato debitis, meritisq. laudum ornamentis cumulando reſiſtes? Sequitur SIXTE ſanctiſſime, & comitatur ſemper virtutem laus, atque gloria; vt corpori ſua ſemper ſubeſt vmbra: nec vnquam boni, ſapientesq. principes à ſuis celebrari, prædicariq. deſinent. Ametur quidem, & merito propter ſe ipſam tantum virtus à ſuis cultoribus expetatur; nunquam tamen hoc ef-

ficietur, vt ſanctam,& cum ipſa virtute cōiunctam vitam gloria non conſequatur. Quo te vnum magis admiror, qui cum totos dies, ac noctes eo incumbas, vt nullis animi contentionibus, nullis corporis laboribus, ac ſudoribus parcas, in iſta tua præſertim affecta ætate, eoq. omnes tuæ cogitationes defixæ inuigilent, nec vllam tibi vacuam, & liberam à cura, & ſolicitudine horam relinquant; vt ad ſummum illum, verumq. virtutum, & bonorum omnium fontem, præpotentem, ac ſempiternum Deum, cuius tu in terris perſonam geris, quam proxime vt dignitate,ſic & præſtantis laude virtutis accedas, eiq. te ſimillimum reddas; nunquam tamen niſi inuitus, ac plane coactus, ad proprias tuas laudes aurem accommodes. Quo vno, etſi ſumma omnia in te ſunt;tamen nihil maius,nihil admirabilius eſſe cenſeo,magiſq. dignum, inter tuas præclaras virtutes quod prædicetur. Equidem cum in te vnum intueor, & tam varias,tamque exſuperantes virtutum,laudumq. tuarum regiones animo, cogitationeq. perluſtro; quantumq. ingenio poſſum, integerrime totius vitæ tuæ curſum contemplor, ſic ſtatuo: multa quidem extare, quæ vetuſtatis conſignata ſunt monumentis, ſummi rerum omnium parentis Dei prouidentiæ argumenta non obſcura: maxime vero diuinam illam, admirabilemq. prouidentiam in te vno ſe ipſam manifeſtauiſſe, ſeq. orbis oculis totam expoſuiſſe. Etenim quis tandem reperiri poterit, qui omne ętatis tuæ tempus cogitatione complexus,non admiratione raptus exclamet, te ipſa omnipotentis Dei manu per omnes vitæ gradus,& diſciplinas deductum, atque excultum in hoc proxime cælum dignitate pertingente maieſtatis ſolio conſtitutum, atque collocatum fuiſſe? Infinitus ſim,ſi omnia,quæ in te Deus admirabiliter operatus eſt, vltima ab origine, ipſoq. primo feliciſſimę vitæ tuæ exordio coner recenſere: celebrabuntur illa ab alijs,& omnium gentium litteris comprehenſa ad tui laudem nominis ſempiternam omnem poſteritatis memoriam adæquabunt, & nos fortaſſe aliquando vberius otium adepti, & melioribus, quam nunc ſumus, præſidiis inſtructi, rerum à te pręclare, feliciterque geſtarum, orbiſque hæreſibus repurgati, & ad veterem, ſanctamque maiorum diſciplinam reuocati, hiſtoriam conſcribemus: nec enim nunc id agimus, vt iuſtos de te commentarios conficiamus, ſed tantum, quid poſſumus, periclitamur; vt ſi noſtra in hoc probetur induſtria, ad maiora poſtea audendum,

dum, atque tentandum incendamur; ſin minus, noſtram cohibeamus audaciam, ne appetamus grauiora, ſi in minoribus iam deficere viſi erimus. Quo magis ignoſci mihi hoc loco poſtulo, ſi vel præclariſſimas laudes tuas, quas ſibi proprias fecit omne illud ætatis tuæ tempus, quod auguſtiſſimum Pontificatum tuum præceſſit, ſilentio prætermiſero. vocat enim me ad ſe glorioſiſſimus Principatus tuus Beatiſſime SIXTE, nec me de tuis laudibus, vel maximis ea, quę maxime prædicare vellem, ſinit. Quocirca nihil ita de te dicam, quod idem de alio dici potuiſſe videatur, nihil de patria, nihil de parentibus commemorabo; quibus à te ortus eos dignitatum, & propria partos virtute titulos peperiſti; & poſteris illius poteſtatis faſcibus præiſti, quæ mortali in terris contingere poteſt maxima: nec mirum, quandoquidem, vt ſapientiſſime; planeq. diuinitus proditum eſt: Probati viri genus virtutis proſapia eſt. Illud autem vnum, quod mihi religio eſt prætermittere, tantum dico, & in parentibus, à quibus natus es, feliciſſimæ futuræ ſobolis eá extitiſſe à Deo impreſſa ſigna, & eá in te diuini ſemper amoris, & ſingularis cuiuſdam ſolicitudinis indicia eluxiſſe, vt facile cunctis ſemper fuerit augurari, quod nunc maximo cum orbis fructu comprobatum eſt, te ſummo Reip. Chriſtianæ bono in terris natum aliquando eiſdem in terris, quam digniſſime mortalis vllus poteſt, Chriſti parentis perſonam feliciſſime ſuſcepturum. An minus tibi præſens in omni vita, & ab ipſis incunabulis propitium extitiſſe numen, quam vel Ioſepho, vel Moſi, vel ipſi etiam Dauidi fuiſſe dicemus? Quos ab infinitis ſeculis, ex innumerabilibus gentibus Deus elegit, populoque ſuo duces ad ſalutem præfecit, nec obſcura in omni illorum vita amoris in eos ſui teſtimonia dedit. An qui te puerum in diui Franciſci familia religioſiſſima, & propter ipſius inſtitutoris admirabilem ſanctitatem, & propter patrum, qui omni ætate in eá floruerunt, doctrinam, atque integritatem ſingularem orbi ſaluberrimam ſemper habitam, initiatum recordabitur; tum quemadmodum adoleſcentiam omnem, dum iugo Domini aſſueſceres, in litteris, & diſciplina morum: iuuentutis vero annos, omnemque reliquam ætatem aut in grege Domini ſalutari rerum diuinarum pabulo paſcendo, lupiſq. furore percitis (quos, malum, noſtra fert ætas) ab eo propulſandis impenderis, tum quam præclare in præfecturis, & poteſtatibus exercendis apud tuos verſatus ſis, donęc per omnes gradus ad

ſummum totius ordinis magiſtratum non minus incredibili familiæ totius conſenſione, quam propria virtute perueneris; cogitabitq. ſecum quibus proprijs tuis, verisq. ornamentis, non caducis,& inanibus iſtorum, vt videntur, bonorum fumis, quibus multi inſolentes redduntur, commendatus à ſanctiſſimo Pontifice, omniq. illi integerrimæ antiquitati ob incredibilem, planeq. cæleſtem vitæ ſanctimoniam comparando Pio Quincto primum in Epiſcopum, ac fratrem allectus ſis, tum Cardinalis renunciatus, omniumq. ſocius, ac particeps, vt dignitatis, ſic curarum & conſiliorum effectus? an inquam, qui iſta recordabitur, dubitabit, credo, ſi modo vllum iudicandi vere de rebus ſenſum habeat, quin ſumma, & admirabili diuini numinis prouidentia ita in omni ætate rectus, informatusq. ſis, vt primum parere,& obedire diſceres, qui aliquando bene, riteq. imperaturus eras; tum in minoribus imperijs, leuioribusq. verſatere; & tamquam in aliqua republica optimi principis perſonam, ac munus ediſceres, qui aliquando orbis terræ vniuerſi habenas optimus maximus Princeps moderaturus eras? Sed hæc licet ſuo, magnoq. pondere non careant: tamen minus neceſſaria forte videantur, quando res ipſa euentu etiam eſt comprobata. O feliciſſimum illũ diem, & anniuerſarijs populorum omnium ſacris celebrandum, cum te FELICEM PERETTVM de Monte Alto immortalis Deus de cæli monte alto in Petri erectum ſede iuſſit eſſe, vt qui ipſum Petrum è piſcatore paſtorem, ſuæq. principem ac parentem Eccleſiæ conſtituiſſet, idem te nunc eiuſdem Eccleſiæ ſuæ periclitantis conſeruatorem efficeret. Te dico non maiorum ſtemmatis clarum, ſed ſupra omnes omnium fumoſas imagines, ac inanes titulos virtute propria commendatum: te non externarum rerum copijs, quæ falſo hominibus bona dicuntur, inflatum, & tumeſcentem; ſed veris, & magnis animi bonis, quæ nec eripi, nec amitti poſſunt, ditiſſimum, & locupletiſſimum: te non hominum factionibus potentem, ſed proborum, bonorumq. omnium votis expetitum, ipſiſq. Diuis, ac hominibus cariſſimum non minus, quam gratiſſimum. Quo die equidem credo, maiori ipſum ſolem lumine terras colluſtrauiſſe, & noua amænitate vultus claritateq. radiorum, etiam ipſis Antipodibus tam lætum nuntium attuliſſe; vt tantum orbis bonum, quod etiam ad illos pro parte ſpectabat, nec tamen per infinita locorum interualla niſi poſt multum temporis intelligere poterant, iam tunc

eodem

eodem ipſo die noua, & inuſitata cæli ſerenitate præſentirent. O veſtrã in tam felici FELICIS electione Patres Illuſtriſs. incredibilem prudentiam, omniq. laude, atque prædicatione decorandam. Etſi enim ipſe eſt Deus, qui diuino ſpiritu ſuo mentes veſtras, atq. conſilia direxerit eo tempore, quo orbæ Eccleſiæ ſuæ SIXTVM Patrem beatiſſimum per vos præpoſuit; tamen veſtram admirabilem, planeq. obſtupendam animorum conſenſionem, & Eccleſiæ ſubleuandæ celeritatem incredibilem, in negotio preſertim, quo omnis illius ſalus continetur, hoc maxime tam difficili, atque formidoloſo tempore tacitus nullo modo præterire poſſum. Cum enim prius auditum ſit, tam felicem gubernatorem periclitantis Eccleſiæ naui vos præfeciſſe, quam propemodum intellectum, vos in concilium ingreſſos fuiſſe; declaraſtis profecto quanta cum animorum æquitate, vos totos ſpiritui Domini permiſeritis. Nec enim difficile erat iudicare de tua P. B. excellenti in omni genere virtute, quæ omnium oculis expoſita, orbiſq. ſermonibus celebrata, ſatis oſtendebat, te non minus ipſi pontificatui, quam ab ipſo acciperes, referre ornamenti poſſe. Nimirum illa ſemper in te affulſerunt ornamenta, atque lumina virtutum, quæ ipſa, quæ mortali contingere poteſt maxima, maieſtate digna ſunt. Etenim ſiue doctrina, vitæque integritas ab Pontifice exigenda eſt; quis vel te doctior, vel ſanctior, qui in litteris, dominique iugo conſenueris? ſiue prudentia in adminiſtrando, atque experientia rerum ſpectanda eſt? quis eſt, in quo hæc omnia, magis quam in te vno reperiantur? qui prius in imperijs apud tuos verſatus, per omnes Chriſtianæ reipublicæ poteſtatum gradus, ad ſummam Eccleſiæ dignitatem perueniſti? Quod ſi munificentia, liberalitaſque in principe iure requiritur? poterat dubitare quiſquam, quam auguſtum, & ſplendidum animum gereres; qui vel Nicolao Quarto Pontifici de Eccleſia optime merito, non minus pie, quam magnifice tua impenſa extructum monumentum videret, vel qui villam tuam magnificentiſſime, ac ſplendidiſſime exædificatam cerneret? non illam quidem ad pompam, vel ad voluptatem, ſed ad pia, ſanctaque ſacrarum litterarum ſtudia recolenda, ad precum & meditationum diuinarum otia comparatam: ita vt & perſonæ, quam ſuſtinebas, dignitati reſponderet, & ipſi Vrbi decori, ornamentoque foret; difficile, credo, erat cuiquam, cum iſta videret, coniecturam facere, quam

liberalis

liberalis, ac munificus Pontifex eſſes futurus; ipſamque vrbem mo numentis exornaturus, qui illam tantis ornamētis Cardinalis non multum diues decoraras. Nec vero tu B. P. obſcura tunc temporis indicia dediſti, quam longe gratiſſimus orbi vniuerſo tuus eſſet pontificatus futurus, cum per ſapientiſſimos Patres in Petri ſublimē ſolium euectus totus lacrymis, fletibuſq. maduiſti; iam enim legebatur in oculis, in ore, in vultu denique toto tuo, te non tam cogitare quantum honoris, quam quantum oneris ſuſtuliſſes; non tam quid liberet, quam quid liceret in iſta tua rerum omnium poteſtate; non tam quantum, ac qualem totius anteactæ vitæ laborum atque ſudorum a Deo fructum percepiſſes, quod te ſuum in terris Vicarium conſtituiſſet, quam quomodo te perpetua ſemper communis illius parentis beneficiorum ſerie dignum prębebres. Cogitabas nimirum, non tam quot, & quantas gentes, ac populos multitudine innumerabiles, regionibus infinitos dicto audientes haberes, quam quibus rationibus illis omnibus dux in cælum præires, & neceſſaria ad ſalutem cunctis auxilia ſuppeditares. Nec mirum, ſi totus in illas curas, cogitationeſq. incumbebas, cum animo tecum reputares, te hominem, hoc eſt mortalem, ſummi, & omnipotentis Dei, cuius opera digitorum ſunt cæli, perſonam in terris ſuſtinere, teque hominum cum ipſo Deo conciliatorem, hominibuſque ipſis interpretem effectum eſſe Dei. Promanabant, ac vberius ſemper difluebant tuę illę tam ſanctæ lacrymæ, omnia fauſta, bonaque nobis prędicentes; quo magis tibi ob oculos proponebas, non tam ipſos patres, orbiſque dominos, atque Heroas ad pedes tuos procumbentes, quod tibi vni cælorum, atque inferorū claues commiſſæ eſſent, quam imaginem, atque ſimulacrum eorum, quorum in ſolium aſcendiſſes, quorū vt ſonus ſanctiſſimæ, atq. ſaluberrimę vocis per omnē exiuit orbem: ſic eorū ſacro, pioque ſanguine plantata Eccleſia in ipſo ſummo angulari lapide CHRISTO IESV in tantam altitudinem excreuit, quæ orbem vniuerſum maieſtate ſua adumbraret. Nec enim te latebat, quo te nunc maxime tempore Chriſtus Dominus Eccleſię ſuæ gubernacula tractare, moderariq. voluiſſet: cum fere demerſa, tempeſtatumque procellis, ac fluctibus conquaſſata Petri nauis inter vaſta, ac pręrupta ſaxa maximum poſt hominum memoriam diſcrimen ſubit. feciſti igitur quod pium, ac diuino munere datum orbi parētem decuit, cū a Deo immortali,

 a quo

a quo dignitatem tantam, tantis curis, atque periculis implicatam accepiſti, ab eodem etiam dignas oneri tanto ſuſtinendo vires, decretis ea de cauſa per orbem cunctum ſupplicationibus poſtulaſti: quæ quam gratæ, atque acceptæ ipſi cęli terręque Domino, orbiq; ſalutares fuerint, vberrimi qui inde promanarunt fructus, declarant. Auxiliata eſt enim manus Domini, & brachium eius confortauit Dauid ſeruum ſuum, quem oleo ſancto ſuo vnxit; inuocantemque ſe Dominus exaudiuit ſanctum ſuum. O feliciſſimum Pontificatus tui auſpicium, omnique prędicatione, & litteris digniſſimum, de quo dum dicere aggredior, quibus tandem verbis animi ſenſa explicare ſatis poſſim, non habeo. Cuius enim tantū eſt flumen ingenij, tanta dicēdi vis, atq. copia, vt pręclariſſima, quę per Sanctitatē tuam a Deo immortali in genus hominū promanarūt beneficia vel dicendo nō dicā explicare, ſed adumbrare, vel aſſequi poſſit cogitādo? Quę porro tam fera gens eſt, & ab ipſa hominum cōmunione a natura in vltimas terras ablegata, tamque inaudita exiſtit, cui ſanctiſſimi Pontificatus tui inaudita felicitas eſſe poſſit? Equidem cum cogito, & veteri quadam memoria temporum, rerumque preclare geſtarum monumenta diligenter perſcrutor, ex innumerabilibus propemodum principibus, qui rerum ſumma potiti ſunt, paucos omnino eſſe animaduerto, qui ita regnaſſe dicantur, vt nunc in laude poſiti verſentur: adeo vt non male exceptum ſemper ſit, a leui neſcio quo ſcurra non leuiter tamen dictum; Poſſe bonorum omnium principum nomina vno vel in anulo inſculpi: atque ex ijs quidem, qui digna laude perpetrarunt, bonorumque nomen ſunt adepti, ne vetera nimis perquiram, duo maxime apud gentes extiterunt: Auguſtus nempe, & Traianus, quorum alterius felicitas, alterius bonitas populorum prędicatione celebraretur. E noſtris vero (Eccleſię paſtores dico) quorum copia maior ſemper fuit, tantaque in omni genere virtutis laus, quæ digna Chriſtiani imperij religione eſſet, & propter ſanctę legis gratiam, qua priores caruerunt, & propter diuini numinis amorem ſingularem, quo hanc orbis ætatem vltimam prę ceteris adamauit, dum & in terris naſci, & nobiſcum per Spiritum ſanctum vſque ad finem ſeculi voluit permanere, multos quidem nominare poſſumus, poſt ſanctiſſimos illos exorientis Eccleſię fundatores, quorum ſanctam, integramque vitam ęterna apud poſteros gloria conſequetur: ſed tamen neſcio

quo-

quonam pacto ſit, vt dum in altero bonitatem,in altero religionẽ & in aliis,ac aliis aut prudentiam, aut iuſtitiam, aut liberalitatem,& ne infinitum ſit cuncta perſequi; neſcio dico quomodo ſit, vt dum ſingulis ſingulas virtutes tribuimus, reliquas tamen, quaſi minus adeſſent, deſiderare, atque requirere videamur: at in te, Sanctiſſime SIXTE, quis eſt, qui orbem ſuum non confeciſſe virtutes omnes fateatur, ac prędicet? & ita prędicet, vt dum in te pietatem atque ſanctitatem colit, prudentiam etiam, rerumque adminiſtrandarum ſolertiam non laudet? dum eruditionem, maximarumque & prędariſſimarum diſciplinarum ſcientiam ſuſpicit, idem ſimplicitatem, atque moderationem ſummam non extollat? dum iuſtitiam ac fortitudinem celebrat, clementiam tamen non minus, ac manſuetudinem laudibus efferat? dum frugalitatem, honorumque contemptum, ac omnium denique rerum ſub ſole poſitarum imperij deſpicientiam tantam admiratur, idem etiam non adamet, ac veneretur liberalitatem, vigilantiam,grauitatemque plenam maieſtatis perpetua celebratione dignam iudicet? Hęc ſunt P. B. virtutum tuarum lumina clariſſima, quorum ſplendore colluſtratus orbis, illud de tuo Pontificatu ſanctiſſimo iudicium tulit,quo nihil tibi beatius, nihil in terris maius, vel illuſtrius contingere vnquam poterat. Illa eſt vna vox, qua nunc orbis vniuerſus perſonat, REGNAT NVNC SIXTVS PONTIFEX, o vocem tibi non minus glorioſam, quam ipſi orbi ſalutarem, qua vna declaratur abunde, non in te iam illam, vel illam elucere virtutis ſpeciem, dignamque quam prædicemus vnam, vt in Auguſto, ipſoque Traiano fuit; ſed quæ habeat teſtimonium locupletiſſimum Pontificem SIXTVM & priſcis ſeculis ornamento, & noſtro gloriæ, & ſequentibus exemplo ſemper eſſe futurum; ita vt dum perpetuis ſeculorum conuerſionibus futuris feliciſsimus tuus prædicabitur Pontificatus, omniumque gentium litteris, & linguis çelebrabitur; habeant in te vno, qui tibi in iſta ſecundnm Deum rerum omnium poteſtate ſucceſſuri ſnnt, virtutum, ac felicitatum omnium ſibi populorum votis propoſitum exemplar ad imitandum. Enimuero cum ſæpe antea intellectum eſt, quam recte, prudenterque dictum ſit, ſolere magiſtratum oſtendere, qualis ille foret, cui committebatur, tum id vel maxime ſummo noſtro bono in te vno feliciter eſt comprobatum. Vt enim qui varie perſonati in ſcenam prodeunt

(vtar enim tua bona cum venia comparatione aliquanto alieniore, ſed tamen non inepta ad id quod quæro exprimendum) liberum maxime ſui iudicium ſpectantibus relinquunt, & quo quis editiore in loco eſt, vel grauiorem perſonam agit, eo facilius illius vel laudatur, vel etiam improbatur induſtria; ſic hoc in orbis theatro, quo quis altiore verſatur in loco, maioremve perſonam ſuſtinet, eo ſe magis patefacit, & quis ſit, oſtendit, & qualis. Hinc enim ſæpe contigiſſe videmus, vt qui & frugi, & induſtrij, virtutiſque amatores maxime viderentur, dum vel eſſent priuati, vel minoribus imperijs fungerentur; tamē vbi ad magnos honores perueniſſent, eorum prior deſideraretur virtus: cum contra in multis, quorum priuata vita inglotia fuit, minuſque repub. digna habita; eorum tamen poſtquam ad ipſam rempub. acceſſerunt, illiuſque honores geſſerunt, multa, eaque præclara in remp. merita commemorentur. Sed vt maxime deploranda eſt reipub. calamitas, quando qui clauum moderatur, malus eſt gubernator: propterea quod vt veriſſime a Sanctiſſimo Patre dictum eſt, remigis quidem leuis, ſed gubernatoris ipſius nauis omnis eſt error capitalis, qui aliter quam naufragio lui non poſſit; ſic nunc beatiſſima iure dicenda eſt Chriſtianæ reipublicæ nauis, cuius tu in puppi a Deo Opt. Max. conſtitutus gubernacula regis, & tractas. Recte enim litteris proditum eſt, eas demum beatas fore reſp. in quibus aut dominarentur ſapientes, aut qui eis præeſſent philoſopharentur. Sed tamen haud ſcio, ſatis ne id ipſum quale ſit perceperit ipſe, qui tam bonum ac ſalutare nobis documentum reliquit: nec enim fidei luce deſtitutus ſatis mihi videtur percipere potuiſſe, qualem philoſophum beatæ reip. principem eſſe oporteret; alia ſi quidem eſt Chriſtiana, alia humana ſapientia: in hac multi, qui omne tempus ętatis conſumpſerunt, nunquam tamen qualem quærebant ſapientem inuenire potuerunt: nos & ſuperioribus ſeculis multos ſapientes, omnique virtutum genere præſtantes regnaſſe accepimus, & nunc te vnum habemus, non tam humana ipſa, quamquā homine digna excultum ſapientiæ doctrina, quam veræ, cæleſtiſque ipſius ſapientiæ, quæ ſola beatam vitam largitur, ac continet, domicilium, lumen, ornamentum. Equidem Sanctiſſime Domine cum te in omni vita, vt nomine ita & re felicem extitiſſe iudico: tum vero te nunc feliciſſimum appello, quod vt poteſtate & dignitate, ſic vitæ ſanctimo-

nia, omniq. virtutis laude, & gloria quā maxime mortalis quiſquā poteſt, ad immortalem, ſempiternumq. Deum, cuius in terris numen geris, quam proxime accedas, eique quam ſimillimus redditus ſis. Felix eras, cum maximis apud tuos honoribus perfunctus, ſummoque quo ſummus, ſanctiſsimuſque Pontifex potuit, teſtimonio cohoneſtatus, contemptis atque ſpretis omnibus ventoſarum dignitatum titulis, ex illo perturbatiſsimo, ciuiliumque fluctuum procellis, atque tempeſtatibus agitato genere vitæ in prædiū tuum vrbanum, tanquam in tranquilliſsimum quietis, otij, atque beatitudinis portum ſeceſsiſti. felix eras, qui cum ſatis tibi vixiſſes ad laudem, in tam dulci tranquillitatis ſinu totius cum gloria præteritæ vitæ iucundiſsima recordatióne fruebare. felix cum quidquid tibi a precibus, tuiſque Auguſtinis, Hieronymis, Gregorijs, Baſilijs, ipſoque tuo Ambroſio, qui ſuis natalibus a te reſtitutus Eccleſię in luce verſatur, temporis relinquebatur, illud omne in rerum ſupremarum contemplatione collocabas. felix, iterumque felix, cum in illa ſyluæ tuæ virentis vmbra opaca, leniterque ſpirantium aura Zephyrorum amœniſſima recubans, qui cum ſuperioribus doctrina, & eruditione, ſic tunc cum ipſis Franciſcis, Paulis, Antonijs, Hilarionibus, pietate contendebas: ſolus ita, vt nunquam minus ſolus; ita otioſus, vt minus otioſus in omni vita laborioſiſſima præſertim nunquam fueris. felix profecto felix, cum in tam ſancto, bonoque otio iam tunc in terris diuinæ, atque cæleſtis cuiuſdam vitæ genus ducebas; cum ipſis tanquam reſolutis corporeis vinculis cæleſtis mens longiſſime poſt ſe terrarum plaga derelicta, cęlorumque diſtinctos ſideribus orbes infinitis ſpatijs præteruecta, ad ipſas ſanctiſſimas & beatiſſimas animas cæleſtis Hieruſalem incolas euolabat; quibuſcum iuncta ſe ipſam æterni, ſummique boni contemplatione diuinitus ſolabatur. Sed vt tandem modum aliquem mihi conſtituam hoc loco dicendi, felix eras, ac vere felix tanti huius tui boni poſſeſſione: nec enim vllus reperietur vnquam, qui in huiuſmodi tranquillitate vitæ, cum tanta præſertim coniuncta ſanctitate beatam ipſam vitam neget contineri. ſic enim accepimus laudari multos, gloriamq. non mediocrem adeptos eſſe, quod huius amore, atq. ſtudio vitæ ampliſſimas poſſeſſiones ſuas dereliquerint, nobiliſſima patrimonia omiſerint, regniſque etiam ipſis, ac omni dominandi gloriæ, ad quam plerique per cædes, atque ſtrages gradum ſibi fa-

cere

cere contendunt, vltro renunciarint. verũ libere dicam, quod ſentio, quodq. ab ijs, qui ſapientes habiti ſunt, ſemper eſt iudicatum. expedit hoc illis languidum, atque liberum vitæ genus, qui minus induſtria, & opera ſua reip. prodeſſe poſſunt, qui ſi felices ſunt, ſibi tantum ſunt. Sane B. P. ita tu felix tunc eras, vt ad te duntaxat felicitas tua omnis pertineret: nec enim mortalis vllus erat, ad quem felicitatis illius tuæ partem aliquam deriuares, niſi qui tibi diuino quodam munere familiaris, aut etiam domeſticus eſſet, ita vt & exemplo ipſo vitæ, & ſermonibus tuis diſceret illud quod ad beatam vitam ducit iter. Sed vt tunc felix, ſic nunc iure optimo feliciſſimus, ac beatiſsimus diceris, quando non minus ad mortales omnes, quos tuę poteſtati ſubiectos fecit Deus, quam ad te ipſum virtus tua, atque felicitas pertinere videatur; quo nihil diuinius, nihil admirabilius eſſe, fingi ue poteſt, quam ſe plurimis hominibus prodeſſe intelligere. Tria eſſe dicuntur, quibus maxime Diuinitas ipſa a ceteris rebus omnibus ſecerni, atque dignoſci voluit. Incorrupta nimirum, & immortalis natura; admirabilis potentia, ipſaq. virtutum domina omnium, atque regina iuſtitia. at vero ſi minus cęlorum, atque elementorum, quod putant nonnulli, natura incorrupta eſt, atque immortalis futura; ſane angelorum, miniſtrorumq. Dei ſpirituum natura erit ſempiterna, certe commoti maris, furentium ventorum, coruſcantium tonitruum, fluminumque intumeſcentium, atque refractis repagulis longe lateque graſſantium ſæpe magna vis eſt: at vero conſulere hominibus, orbi benefacere, iuſtitiæ, atque religionis vinculis humanam conſociationem deuinctam retinere aut non intelligo, aut hac vna ratione principes ad immortalem, diuinamque naturam quam proxime accedunt. Hæc tua eſt Sanctiſs. Pater propria ac vera laus, quæq. te vnũ beatiſſimũ inter omnes mortales conſtituit. Cõprobauit hoc orbis vniuerſus, quæ tua tempora vt optimi, ſibique diuinitus dati principis & nunc prædicat beneficijs immortalibus a te receptis, & ſemper maiori cum nominis tui gloria ad poſteros celebranda tranſmittet; quod tibi vni poſt orbem conditum ex infinitis principibus contigiſſe videmus. Et iure quidem tanto, tamque glorioſo bono frueris, quando tu nouus Saturnus auream ætatem mundo reddidiſti; ipſamque Iuſtitiam e cælo in terras iterum euocaſti. Concede enim mihi ea ut mutuer a Poetis, quæ quibuſdam ſub integu-

mentis, atque inuolucris rerum præclariſſimarum documenta continent. ferunt illi fabuloſe quidem, vt ſuus eſt mos, antiquis, & heroicis illis, vt volunt, temporibus regnaſſe Saturnum quendam, virum probitate, iuſtitia, prudentiaque præſtantem, quo regnante auream ætatem volunt extitiſſe, cum ipſi, vt dicunt, dij in terris verſarentur, ipſæque terræ nullis laceratæ vomeribus, expertesque aratri fruges parerent: qua ætate feliciſſima ſiue communes res omnes eſſent, nullisque limitibus deſignatæ agrorum cuiuslibet poſſeſſiones, ſiue ſuo quiſque contentus viuebat, nullę cædes, nullæ rapinæ, aut facinora; non bella, non incendia audiebantur: ſed pariter pietas, & iuſtitia ab omnibus colebantur: hanc vero auream ætatem, cum pauliſper homines ab illa recte viuendi norma deflexiſſent, in argenteam conuerſam ferunt, hanc rurſus deprauatis magis moribus in æream degeneraſſe, donec omni humano, atque diuino iure violato ad ferream ætatem peruentum eſt, quo tempore Iuſtitiam tanta prauitate offenſam vltimam cęlitum omnium in cælum ſe recepiſſe voluerunt. Eſt hæc fabuloſa quidem narratio, ſi verba tantum ſpectemus, quod ſi intro rem omnem inſpexerimus, & quæ myſteria huiuſmodi fabularum arcanis contineantur & lateant perſcrutabimur; intelligemus profecto non aliunde melius optima documenta, & ad bene beateque viuendum accommodatiſſima, quam ab ipſis, quæ videntur, fabulis peti poſſe. Etenim quis non intelligit pietati, & iuſtitiæ deditum principem auream efficere illam ætatem, qua ipſe terris ſancte, iuſte, prudenterque moderatur. Iam vero quis non illam remp. deorum eſſe dixerit, quæ optimis fundata, atque temperata legum inſtitutis, ciues ſuos pie, iuſteque viuentes videt, in qua mutuis officiorum neceſſitudinibus omnia tribuuntur, in qua ſuo quiſque contentus non appetit alienum, niſi quantum pietatis artibus alter alterum ſuperare contendit, vbi tantum caritatis ratio poteſt, vt non minori quiſque proximum, quam ſe ipſum beneficentia, & beneuolentia complectatur. Eſt homo homini Deus, vt ueteri prouerbio teritur, cum ſic ex ratione officij viuitur, quæ, vbi violata eſt, iam fit ipſi homini homo lupus. Quę cum ita ſint, quis non te Saturnum iure dixerit, quando euocata e cælo in terras iuſtitia, auream nobis ætatem reſtitueris. Quod etiam magis intelligetur, ſi tua hęc tempora cum ſuperioribus comparentur. Etenim quis non ſuperiorem

riorem ætatem iure ferream dixerit, quæ tantam ferri, tantam gladiorum, atque ſicariorum impunitatem tulit. Quotidie cædes, homicidia, furta in vrbe committebantur, itinera obſidebantur, latronibus infeſtabantur, fortunis ſuis negociatores ſpoliabantur, ipſaque mercatorum comercia ſæpe contra omne ius gentium tanta calamitas impediebat. Diripiebantur Italiæ pagi, & iam ipſa tempeſtas vrbibus vaſtitatem atque euerſionem minabatur: non metus legum, non auctoritas magiſtratuum, non tot, tantaque copiarum comparata præſidia aduerſus illas latronum procellas valebant, quin quotidie audacius, atque crudelius in fortunas ciuium pro libidine furiæ illæ inuaderent, & Italiæ agrum funeſtarent: nulla humanitatis vincula furentem illorum barbariem cohibebant; non ipſe diuini numinis metus ſceleſtas illorum dextras, cruentoſque ſanguine noſtro gladios a iugulis atque viſceribus noſtris reuocabat. Quin etiam, quod ipſi tandem interitum vrbi importaſſet, non domus cuique ſua ſatis firmum præſidium vitæ, aut fortunarum erat, conductis operis, atque armatis ſtipari neceſſe erat, non modo ſi quis vel forum obire, vel iter ſuſcipere, ſed etiã ſi in ipſis domeſticis ſuis laribus, atq. penatibus liberos ſuos ſaluus ſaluos fortunarum ſuarum ſucceſſores futuros inſpicere voluiſſet. Ipſa, ipſa fana atq. delubra religioſiſſima, omniumq. gentium iure ſacroſancta ſemper habita tantæ tempeſtatis vim pertimeſcebant: certe quod maxime deplorandum fuit, horret animus referre, multi cum religionis, & voti cauſa ad ſanctiſſima Dei, vel Matris Virginis templa contenderent, ab iſtis humani diuinique iuris prædonibus vel calamitoſe ſpoliati, vel crudeliter etiam ſunt necati, cum mortalibus ad immortalis Dei templa aditus tutus non pateret. quæ cum eueniunt ipſum orbem ruere, Deique miſericordiam a nobis auerſam eſſe, nemo eſt qui non dicat. O auream igitur ætatem hanc noſtram, quam tu Beatiſſime SIXTE orbi reddidiſti, cum iſtis orbis funeribus compreſſis Italię quietem, ciuibus libertatem, legibus vim, magiſtratibus auctoritatem, templis religionem ſuam reſtituiſti. Etenim B.P. cum primum immortalis Dei perpetuo nobis prædicando munere ad iſtam proximam cælo dignitatem aſcendiſti, tanquam exorientis ſolis diuerberatæ radijs nubes diſcutiuntur, ſic ſanctiſſimarum virtutum tuarum luminibus, quibus commendatus periclitantis orbis a Deo gubernacula ſuſcepiſti, latronum caligines deſtructæ,

atque

atque diſſipatæ ſunt, & quos vix antea regio omnis capiebat, tandiu in Italię caulis, ſtabuliſque paſtorum delituerunt, donec diuinę iuſtitiæ tibiq. debitas ſceleribus ſuis pœnas perſoluerunt. Quin quod admirabilius eſt, tibique ęternam apud poſteros famam comparabit, non nouis conuocatis copijs, non exteris, aut alienigenis accerſitis auxilijs illa tam funeſta, atque acerba lue Italiam liberaſti, immo vero multis id genus præſidijs dimiſſis, nullo ciuium, nullo vrbis, aut Italiæ incommodo, tanti mali quod in dies manabat latius, radices omnes, atque fibras funditus auulſas admirabili prudentia atque virtute paucorum ſupplicijs contriuiſti. In quo tuo tam pręclaro orbi conceſſo beneficio cum diuinam prudentiam, felicitatemq. tuā admiror, tum vero paternam tuam clementiam, atq. miſericordiam perpetua commendatione dignam iudico. Nec enim, quod facere ſępe ſolemus, vt non tam ex ratione, quam ex vulgi opinione prętantium virorum res præclare geſtas ęſtimemus, ipſorumque conſilia euentu ponderemus, idem in hac tua tam excellenti, atque prętanti virtute dici, vel fingi poteſt. nullum, nullum huius tuę laudis ſocium habes; nec vero gloriæ iſtius tuę, quę tua tibi virtute comparata eſt, pars aliqua tibi deperire poteſt. nec enim temeritas cum conſilio commiſcetur vnquam. obſequuntur ipſi rerum euentus proſperarum ſapienti, qui omnes animo cum habeat comprehenſas virtutes, omnia quę facere vult, facillime tractat: nihil autem vult, quod non Deo gratum, atque acceptum ſit, quem vt auctorem conſiliorum, ita & adiutorem rerum ſuarum omnium habet, atque fautorem. Enimuero cum ſemper antea Deus ipſe quam te peculiari amore proſequeretur, demonſtrauit, tum vel maxime hac vna præſtantiſſima tua in laude declarauit. ſi quis enim eſt, cuiuſmodi multos eſſe confido, qui pacatę, & domeſtico latrocinio liberatę a te Italię paucorum menſium ſpatio, ipſo ingreſſu Pontificatus tui beneficium ſuo pondere æſtimare volet, ita iudicet, neceſſe eſt, ea a te & feliciter incępta, & felicius perfecta anno vno fuiſſe, quæ haud ſcio, an omnes reliqui Principes vno anno, an omnibus annis ſinguli principes præſtare valuiſſent. O immortalem tuam tam pręclari beneficij laudem futuram; qui vnius breuis ſanctione, dimiſſis pręſidijs, militibuſque omnibus, infinitis ſublatis ſumptibus, non nouis imperatis prouincię pecuniis, vectigalibusue coactis; ſed admirabili animi virtute, diuino innixus auxi-

lio iſtis furijs, nihil ſibi non promittentibus atque molientibus, omnia diuina & humana labefactantibus latronibus vltimū interitum; Vrbi vero, Italięque omni tranquillam, atque optatam magis, quam ſperatam pacem attuliſti. Equidem ſuperiorum temporum plagas cum tuorum temporum delicijs conferens ſic ſtatuo, veriſſime non minus quam ſapientiſsime litteris proditum extare, nullum male affectę reip. indicium maius reperiri, quam cum leges vim ſuam amiſerunt, nec ipſis magiſtratibus niſi per vim dignitatem tueri licet. Erant tot, ac tantæ cohortes, militumque cateruæ ad legum vim conſeruandam comparatæ, tanquam emplaſtra quædam ad ægras reip. partes admota, cicatricibusque curandis remedia compoſita; quibus nihil neceſſe eſt, cum ipſum cor, ex quo ad omnia membra ſanguis, & vita ipſa deriuatur, ſanum atque integrum conſiſtit. Eſt cor reip. princeps, a quo ipſa omnis reſp. in vita, hoc eſt in officio continetur, a quo dum ſanctæ, atque incorruptæ leges promanant, non minus illis omnes reip. ordines ſani atque integri conſeruantur, quam ipſo ſanguine e cordis puriſſimis fontibus permanante ipſa corporis membra optime valere intelliguntur. Nec mirum, cum ſummus ille rerum omnium Parens, & Conſeruator Deus, vt ſolem in cælis, ſic a ſe datum principem in terris diuinitatis ſuæ ſimulacrum eſſe voluerit, ſi diuinarū virtutum tuarum ſplendore diſſipatis facinoroſorum hominum caliginibus omnis reſp. orbiſque, ſanctitatis atque pietatis tuæ luminibus refulgeat. Quæ cum tuam incredibilem virtutem atque prudentiam demonſtrent, tantamque felicitatem, quanta, haud ſcio, an vnquam in principe vllo iure prædicata, atque celebrata ſit: tum vero egregiam tuam, planeque paternam humanitatem, atque clementiam, in hac paucorum perditorum hominum ſupplicijs Italiæ reſtitutione non poſſum non admirari: quod illis, qui obliti ſe homines eſſe hominibus ipſis bellum inferebant, nec niſi per cædes, & furta vitam producebant, vt in numero hominum cum eſſent, magis tamen inter furias ipſas ſtygias annumerantur, quorum ora maledictis Deum rerum omnium parentem, cruentæ manus ſanguinem, vitamque noſtram petebant; qui noctes, atque dies nihil niſi furta, cædes, incendia, hominumque ac rerum ſtrages, & ruinas animo machinabatur: quorum truculentiſſimus vultus hominibus ipſis mortem inferre poterat; qui ſua ſententia, populique imprecationibus deuoti cum eſ-

ſent

ſent, teterrimiſque inferorum tyrannis mancipati, atque addicti, tua tamen incredibili, & plus quam paterna caritate, illis, illis inquã hominũ facibus, orbiſq. funeribus, ſed tamẽ hominibus, ſi modo ad ſanitatem animi redirent, & ſcelerum conſcientia acti ingemiſcerent, ipſo in extremo vitæ ſpiritu reſolutis omnibus vinculis quibus ab ipſo Dęmone obſtricti tenebantur, iamque poſſidebantur, cælorum patere iter per ſummam gratiam voluiſti non minus, quam ipſi ad crucem Domini latroni appenſo patuit. In quo declaraſti profecto, quam non libenter, ſed inuitus, vt nos ſeruares incolumes, illos tolleres de medio, quibus, quantum in te fuit, vitam morientibus reddidiſti. fuit hoc prudentis, ſuiſque optime conſultis parentis vitioſa atque corrupta reip. membra excindere, ne ſua contagione totam remp. contaminarent, & perderent: in quo profecto miſericordiæ fructus omnis exiſtit, & continetur. etenim paucorum iuſto interitu liberare ciuitates periculo, & metu, itinera latronibus, maria piratis purgare, ipſiſque hominibus liberam, & vacuam fortunarum ſuarum poſſeſſionem præbere, efficereque ne amplius in ciuitate, in domibus noſtris, in ipſis Dei immortalis ædibus, ac templis cum timore verſemur, hoc demum vnum eſt clementiæ, atque caritatis fontes in omne hominum genus profundere. Quod tuum glorioſſimum, atque præclariſſimum facinus, etſi tantum eſt, vt nulla illud oratio complecti queat: tamen cum longius reſpicio, quidque inde boni Italiæ omni acceſſerit, conſidero; facere non poſſum, quin exclamem ad tanti tui admirationem beneficij, quod dum conor dignis meritiſque laudibus explicare, nulla digna ſatis occurrit oratio, ad id quod volo præſtandum: ſed dicam quemadmodum potero, & verbis adumbrare conabor quid ſentiam; aliqui forte me feliciores reperientur, qui hoc poterunt præſtare: quanquam non credo, vlla humana voce tantum tuum beneficium poſſe cumulate laudari. Illa, illa SIXTE Domine, ac Parens optime, & propter religionem ſanctiſſima, & propter præſentis numinis quotidiana miracula toto terrarum orbe celeberrima. Illa ſacroſancta Lauretana ædes, qua nihil in terris ſanctius, nihil diuinius habetur, tuo, tuo hoc munere in Italia retenta eſt. Nec enim minus ſanctiſſimæ ædis illius famuli ſpiritus de illa in alias terras tranſportanda iam cogitabant, quam olim fecerunt latronum incurſionibus offenſi. Memoriæ proditum eſt, bis ange-

lorum manibus religioſiſsimũ illud fanum, in quo nata, & educata eſt ſalutis noſtræ parens a ſua ſede reuulſum per aera portatum ſolum mutaſſe, non aliam ob cauſam, quam ob violatam latrociniis oræ in qua conſederat religionem, vltimoque in agro Piceno in quo nunc ſtat, conſtitiſſe; e quo quis non illud eodem quo olim miraculo emigraturum, atque Italiæ fines relicturum fuiſſe metuit, tot ſacrilegijs, ſpoliationibus, vexationibus, cædibus cultorum ſuorum abalienata ipſa Virgine ſanctiſſima, antequam tu Beatiſſime S I X T E, tantæ Italiæ inſtanti ruinæ pro tua diuina virtute, atque ſapientia occurriſſes? quæ neceſſario conſecuta fuiſſet, hoc religionis aſylo, pacis ornamento, fidei propugnaculo, atque firmamento amiſſo. Quo enim tandem animo ſacroſanctam Virginem matrem tuliſſe credimus, dum videret, eos, qui voti cauſa pie, & caſte ad ſanctam illius ędem ex omni terrarum orbe contenderent, toleratis tot, ac tantis viarum aſperrimarum difficultatibus, tot maribus tranſmiſſis, difficillimiſq. montibus ſuperatis, ipſiſq. barbaris & a religione noſtra alienis gẽtibus ſanctos ſemper habitos in ipſo Vrbis Chriſtiani imperij principis conſpectu, pene ad altare ſuum a perditiſſimis, atque immaniſſimis Chriſtiani nominis peſtibus ſpoliari, vexari, miſere etiam trucidari; quam olim leuibus fratrum duorum agri, in quo conſederat, contentionibus offenſam ſolum mutaſſe prodiderunt. Ergo quod tuto viuimus, quod pacis bono fruimur, quod ſacrilegijs, parricidijs, furtis, incendijs liberata Italia dignitatem ſuam priſtinam, religioniſque atque imperij lumen, & ornamentum tuetur, ac retinet, facit hoc tua orbis Parens Sanctiſſime incredibilis, atq. admirabilis virtus: quæ & nunc gentium omnium linguis celebratur, & æternæ poſteritatis litteris aletur, ſemperque futuris ſeculis fiet admirabilior. Sed vereor, ne imprudenter faciam, dum conor ea oratione tractare, quæ magis admiratione digna ſunt, quam vt illis verbis exprimi poſſint. Quo circa ad alias res tuas geſtas mea ſe iam conuertet oratio, quæ ſunt huiuſmodi, vt nunquam putem, tot, ac tanta a mortali vllo vnquam præſtari potuiſſe, quanta a te geſta anno vno minus ſunt, niſi tibi Dominus, æternuſque Deus ob conſeruatam in Italia Virginis matris, ſanctiſſimique illius fani religionem, tantam gratiam retuliſſet, quantam fortaſſe nemini. Etenim quis eſt tam ignarus rerum, tam nihil de rep. cogitans, qui non admiretur, te vix conuerſo anno Ita-

no Italia purgata, atque liberata latronibus, quibus iam tot annis opprimendis fruſtra tam magnæ copiæ conuocatæ fuerant, Vrbe au tem ipſa maximis tuis ſumptibus & fame liberata, qua Europa vniuerſa propemodum laborauit, & ædificijs, aquęductibus, vijs, mo numentiſque reſtituta, atque ornata, te vnum inquam tot ſumptibus factis, non modo non exinaniſſe ærarium, ſed illud exhauſtum cum repereris anno vno & aliquot menſibus vicies centenis aureorum nummorum millibus oppleuiſſe. Sunt hæc huiuſmodi, quæ omnem ingenij vim ſuperent, quęque nedum verbis, ſed ne cogita tione quidem ſatis comprehendi poſſe videantur. Quapropter ſic de laudibus tuis dicam, vt me admirabiliũ virtutum tuarum fluctus rapient, & quibus inſiſtere non potero, eas currendo proſpectans, quemadmodum potero, indicabo, & quaſi digitos ad illas intendam. Etenim quid prudentius ad rerum coniecturam futurarum fa cere poteras, quam vacuum, & inane repertum ærarium pecunia munire, non ad auaritiæ prędam, ſed ad Eccleſię ſubſidium. ſunt enim muniti fiſci principi & rebus proſperis decori, atque ornamen to, & formidoloſis, difficilibuſque temporibus præſidio, vt cum ea incidunt tempora, quibus neceſſario bellum eſt ſuſcipiendum, non ad inferendam, ſed ad propulſandam iniuriam habeat paratum iam ipſum belli neruum Princeps, nec cogatur extraordinarijs vectigalibus, infinitiſque imperatis pecunijs ipſum populum opprimere, quod nunquam ſine maximo totius reip. diſcrimine contingit. At vero ſecundis in rebus habere principem, vnde munificentiam, liberalitatemque exerceat erga de rep. optime meritos, pateantque ita diuitiarum ſuarum perennes fontes, vt bonos præmiorum vberrimorum ſpe ad virtutem, atque omnem laudem inuitent, & inflamment, improbos vero, & rerum nouarum cupidos a factionibus, audaciaque deterreant, ne quid contra reip. ſtatum moliantur, hoc demum eſt principis, non magis de ſua quam de ſuorum ſalute dies & noctes cogitantis; in quo certe omne optimi, prudentiſque principis munus verſatur. Etenim ſi veteribus credimus, qui de ciuitatum regnorumque origine illa litteris mandarunt, quæ ſemper recte, ſaneque ſentientibus comprobata fuerunt, non aliam ob cauſam ab illa agreſti, feraque vita maiores noſtri e ſiluis, & montibus in quibus pecudum ritu per furta, & rapinas victum quæritabant, in vnum conuenerunt, mœnibuſque cincti, vnde & vrbes vnius ſe imperio

perio ſponte ſubiecerunt, quam quod illum, in cuius ſe fidem com mittebant, prudentem iudicauerunt, qui & ingenio damna, quæ ac cidere poſſent, præuideret, & præuiſa virtute caueret: fuit hoc excellentis, atque præſtantis virtutis tuę, neceſſariis, optimiſque ſubſidiis imperium Eccleſiæ ſtabilire, ita vt & pacis ornamenta, & belli inſtrumenta neceſſaria prompta, atque expedita haberes, vt illis boni pacis, quod amant, commodo fruerentur; egentes autem, perditique pacis atque otij communis hoſtes, ſi quid facinoroſe molirentur, timerent. Quod tuum tam ſanctum prudenſque conſilium ſatis declarat, quo tuæ omnes curæ, vigiliæque in noſtra ſalute defixæ reſpiciant foras, cum ea primum domi ieceris fundamenta. Sed de illis dicere properantem ipſa me Vrbs retinet, & moratur, quæ non magis periculis, quæ illam circumſtabant, virtute tua liberata, & in pace atque quiete ſtabilita, & confirmata, quam multis, magniſque ornamentis decorata, religionibus recreata, optimiſq. ſanctiſque legum inſtitutis fundata, atque compoſita a me ſilentio prætermitti non debet: nec enim abſcondi poteſt ciuitas ſupra montem poſita, hoc eſt, vt ſanctiſs. vir tradidit, ſupra magnam, inſignemque iuſtitiam fundata. Quare, vt nunc miſſum faciam, pręſtanti tua prudentia effectum eſſe, vt in qua vrbe vix ante te armati, armatorumq. hominum lateribus ſtipati incedere tuto poteramus, in ea nunc tuo perpetuo prædicando munere non aliter, quam in optima optimi patris familias domo degi, quaſique armis ab ea iuſſis exulare, nullum in ea gladium vagina vacuum conſpici, quem etſi non ad inferendam, ſed ad ipſam vim propellendam eſſe ferunt inuentum: tamen nullum in ea ciuitate vſum habet, in qua & Princeps maieſtatem, & leges dignitatem ſuam retinent; ſilere tamen non poſſum, in ſumma annonę difficultate, qua anno ſuperiore tota Europa maximeque Italia afflicta premebatur, vnam Romam SIXTI Pontificis impenſa, maxima pecunia in ſingulos dies erogata commune ceteris populis malum non ſenſiſſe; vt dum in reliquis Italiæ partibus multorum hominum tanquam pecudum greges, proh dolor, herbas in campis paſcere vidiſſes, omniaque luctu, atque lamentis parentum in liberos, & liberorum in parentes fame premente funeſta redderentur, tua, tua liberalitate, atque prouidentia ſingulari, in Vrbe non modo non egebamus, ſed etiam vicinis ipſis, quantum abſque ipſius Vrbis incommodo poterat, ſub-

uenie-

ueniebamus; pro quo tuo beneficio nullius tam fera eſt, tamque barbara natura, quæ non quotidie pro tua ſalute immortali Deo vota faciat, quo vno, neſcio, quid maius vel optabilius principi a ſuis tribui, dari ve poſſit, quam ſe ab illis intelligere amari: vt enim malus eſt imperiorum comes metus, ſic contra diuturnitatis optimus cuſtos eſt amor, & beneuolentia ciuium. Loquentur animi magnitudinem tui, atq. excelſitatem teſtabuntur, maximis tuis ſumptibus, infinitis conductis operis Vrbis egeſti cliui, ſummoque ipſius Vrbis commodo, atque decore ſtratæ, munitæque vię: nec minus extabunt amoris, liberalitatiſque tuę in ipſam monumentum, A Q V AE F E L I C E S, ſic enim eas potius appellabo, quam vel Curtias, vel Claudias, vel cęruleas, quæ cum iam tot annorum ſeculis a capite aquarum a ſolo vetuſtate dilapſæ eſſent, atque intermiſſæ, ingentibus conſtructis ędificiis a milliario Vrbis viceſimo tuis impēſis reductæ, reſtitutęque ſunt; quarum perpetuo commodo dum fruentur poſteri, quibus putas memoriam tuam laudibus efferent, & proſequentur, tantumque beneficium prædicabunt; dum intelligent tuo ſe munere tunc illas vrbis regiones incolere, quę natura cum ſint ſaluberrimæ, propter cæli conſtitutionem optimam, ſiccitate tamen, & inopia interceptarum aquarum a maioribus noſtris derelictæ ſunt, & ante te deſertæ ſemper remanſerunt. Quid vero poſt edomita Italiæ monſtra eiuſdem exſiccatæ paludes, hoc eſt, confecta hydra, quam diuturnam nominis tui gloriam conſeruabūt? Sed hęc tua beneficia cum non modo in ipſa Vrbe, aut intra ipſos Italiæ fines prædicentur tātum, verum etiam orbis terræ fines glorioſiſſime peruagentur, ſemperque apud poſteros ſint futura maiora; ineptus iure habear, ſi putem ad hanc tuam liberatæ, compoſitæ atque exornatæ Vrbis laudem, quidquam oratione mea accedere ornamenti poſſe. Enimuero cuius eſt tanta vis ingenij, tantaque dicendi vbertas, vt ingentibus machinis, & inuſitatis inſtrumentis translatam ſumma tua munificētia portentoſæ magnitudinis molem, & ad reip. ornamentum auguſtiſſimo in loco conſtitutum Obeliſcum, nec minori pietate, & religione ab iniuſta antiquæ ſuperſtitionis poſſeſſione cum ipſum obeliſcum, tum admirabilis altitudinis, atque artificij columnas duas Traianam & Antoninam Chriſtianæ religioni vindicatas (quibus tribus veteris imperij trophæis nihil nec ipſa antiquitas maius tulit, nec admirabilius noſtra tempora viderunt)

runt) non modo exornare vel amplificare dicendo, ſed aſſequi poſſit cogitando. Verum de illis antequam dicam, præterire non poſſum, quibus, & quam ſanctis legibus non modo ipſam Vrbem ad incorruptam, piamque maiorum diſciplinam reuocaueris, verum etiam ipſius religionem amplificaueris, & auxeris: in quo genere præſtantis tuę gloriæ, quando omnia, quæ ſunt innumerabilia, conari recenſere impudentis eſſet, illiuſque qui maiora viribus ſuis aggreſſus in ipſo medio curſu non modo nulla cum laude, ſed maxima etiam cum turpitudine fractus iacere cogitur; ex infinitis huius generis, quę ſeſe mihi offerunt, matrimoniorum iura per te reſtituta, ſanctamque capellarum, vt vocamus, inſtitutionem tuam dũtaxat attingam; quod duobus hiſce tuis decretis nõ tam hominibus, Vrbique conſuluiſſe, quam etiam cælitibus ipſis gratum feciſſe iudicaris. Etenim quis modo qui iure Chriſtianus dici, haberi ue vult, ęquo animo ferre poterat, ipſam Vrbem Chriſtiani caput imperij, patriamque communem habitam, non tam propter armis ſubiectũ olim orbem terrę, cum ijdem fines vrbis eſſent, atque orbis, quam quod eam ſedem, ac domicilium religionis Chriſtus dominus conſtituerit, ſic in multis ſuis partibus libidinis, & incontinentię maculis fœdatam, atque conſpurcatam fœtere, vt non dicam Platonicę reip. cuiuſdam, in qua etſi connubia erant communia, nullaque certa matrimoniorum iura deſcripta, atque diſtincta, habebat tamen, quo ſuum huiuſmodi inſtitutum, ritumque tueretur, ſed Cynicæ cuiuſdam horrendę atque deteſtandę intemperantiæ potius, quam vllius Chriſtianæ reip. ſpeciem, aut formam retineret, & pręſeferret? Quanquam hoc ſic accipi cupio, vt minime ad multas, ac maximas ſanctiſſimæ huiuſce ciuitatis partes, ordineſque pertinere dicatur: in quibus & priſcæ continentiæ, & religionis, nobilitatiſque genere Romano dignæ non ficta, vel adumbrata, ſed vera atque germana veſtigia reperias. Sane magnitudine beneficij tui permotus hoc tacere non potui, vt intelligeretur, magiſque eluceret, quam ſalutarem medicinam ægris reip. partibus attuleris, qua illud effectum eſt, ne amplius qui ex omnibus terræ partibus in Vrbem contendimus, poſtquam ad eam peruenimus, Romam in ipſa Roma requiramus; cum quam ob cauſam peregrinationem ſuſcipimus, eam vere cæleſtis Sion, æternęq. Hieruſalem imaginem, qualis eſſe debet, talem tua ſingulari virtute, atque pietate redditam

eſſe

eſſe intelligamus. Turpe profectò erat, in qua vrbe Ethnici cum regnarent, continentiæ leges valebant, in ea, poſtea quam ab ipſis Chriſtianę religionis Principibus recta, atq. gubernata fuit, tam ſanctas, ac ſalutares leges vim ſuam amiſiſſe, nec vllam fere dignitatem retinuiſſe. quanquam de illarum iure nihil diſputo; nec enim probari poſſunt illarum decimę, pœnęque cælibatui inflictę. ſane finis non poteſt non probari, qui omnis & ad liberorum procreationem, & libidinis coercitionem ſpectabat. Quibus legibus cum ſua omnis vis, ac dignitas tuo munere reddita ſit, quemadmodum ab optimo religionis arbitro, atque conſeruatore decuit, maximaque detrimenta, quę illis ſpretis, atque contemptis quotidie naſcebãtur ſublata, illud commodi Romanæ genti orbis domitrici, populorumque dominæ per te etiam tributum eſt; vt cum iam nullis, vt Poeta non male grauis loquitur, polluatur caſta domus ſtupris, & lex maculoſum edomuerit nefas, laudentur ſimili prole puerperę, ita vt & nunc fortes creentur fortibus, nec generoſæ aquilæ imbelles progenerent columbas. Sane, vt idem Poeta, neſcio quo alio in loco loquitur; credo enim illius ſuauitate, atque venuſtate omnes, qui modo humanitatis guſtum aliquem habent, delectari de temporum ſuorum incontinentia conquerens.

Non his Iuuentus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico,
Pyrrhumq. & ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemq. dirum.

Non amplius iure iactabunt ſe nobis Ethnici in ſuis ciuitatibus adulteria pro monſtris haberi, nec ipſam ciuitatem fidelem meretricem effectam eſſe exprobrare nobis poterũt, quę tuo beneficio ciuitas iuſti reddita eſt. Sed reuocat me ex hac tam eximij beneficij tui commemoratione, in qua multa mihi atque præclara occurrebant, digna quæ dicerentur, quod non minus ad tuam laudem, quam ad orbis ſalutem pertinerent, pia tuarum Capellarũ, vt dicũt, inſtitutio: qua credo, nec fallor, immortales ipſos cælites vel maximam perſenſiſſe voluptatem. lætantur, lætantur beatæ illæ animæ, cum te Patrum corona cinctum, certis ſtatiſque diebus templa ſua religioſe obeuntem intuentur. Equidem credo templorum

parietes ipſos claritate, atque ſplendore radiorum ſanctiſſimi tui vultus, tanquam clariſſimi alicuius ſolis conſpectu atque pręſentia ſenſu voluptatis permoueri, & quaſi ipſo numine præſente, cuius tu maieſtatem in terris ſuſtines, recreari. An vero non putamus ipſos beatos ſpiritus, cælorumq. felices incolas, cum te e cęlo reſpiciunt in ſuis ædibus, te dico CHRISTI Domini Vicarium, patribus Apoſtolorum ſucceſſoribus circundatum ſacra facientem; an dubitamus, inquam, illos tibi omnia fauſta, atque proſpera ab ipſo immortali, æternoque Deo impetrare tuo hoc beneficio tibi obligatos, quod ſuorum templorum religionem, quæ minor quam decebat, erat, tua pietate excitaueris, atque amplificaueris? Quis enim dubitare poteſt, quum omnia tam feliciter tibi ex animi ſententia videat euenire, cæleſtes illas animas votis tuis omnibus obſecundare? Quo enim tandem animo erga te credimus eſſe duo illa Eccleſiæ lumina, orbiſq. Principes Petrum & Paulum, cum intelligant ſapientia tua, vereque chriſtiana virtute ſe de Antoninorum atque Traianorum ſuperſtitionibus in principe religionis ſuæ Vrbe triumphare; eorumque impia ſibi trophæa cedere, quorum impijs, nefarijſque gladijs olim tot Chriſtianorum, ſucceſſorumque ſuorum millia crudeliter ceciderunt: quanquam viſi illi quidem ſunt cadere, re vera autem in cælum euolauerunt, vbi tanto nunc a te accepto beneficio, credibile eſt, eos non minus de pari referenda tibi gratia cogitare, quam olim inique, nec ſine indignatione tulerunt, ad laudem, atque memoriam ſuorum hoſtium, extare illa in Vrbe monumenta, cuius ipſi ſanguine liberaliter profuſo ieciſſent ſalutis fundamēta. Sed vt aliquando de tuo futuro ſempiterno pietatis, religionis, munificentiæ atq. liberalitatis monumento, ea dicā, non quę res poſtulat, ipſeque maxime vellem; ſed ea quę oratione ſi minus enarrare, at certe adumbrare aliquo modo potero. Quid erat P.B. quod vel ad pietatem, religioniſque decus accommodatius, vel ad Vrbis ornatum atque decorem illuſtrius, vel ad virtutum tuarum gloriam prędicabilius, magiſque te dignum præſtare nobis poſſes, quam admirabilis magnitudinis molem, & artificij incredibilis Obeliſcum e tenebris, in quibus iacebat, felicitate quadam tibi propria in lucem atque conſpectum Vrbis transferendum curare? tamque egregium atque eximium antiquitatis trophæum ſuperſtitione, qua tenebatur liberatum, & religioni noſtræ aſſerere, & ſalutis no

ſtræ

ſtrę inſignibus decorare? Quantam enim turpitudinē habebat gentilis tantum impietatis ſignum in loco totius Vrbis ſanctiſſimo impreſſum extare; propter ipſam Principis Apoſtolorum baſilicam; ad conſpectum ipſius Chriſti Vicarij ædium; in ſolo, in quo vix pedem figas, vbi innocens, piuſque Sanctorum ſanguis effuſus non ſit; in quo loco etſi pene ſepultus, planeque reconditus iure latebat, tamen non ſine labe Chriſtiani nominis tantum poterat impietatis veſtigium, in tam ſacro loco impreſſum reſidere. Equidem credo ſanctiſſimis martyrum illic recubantium oſſibus tam vaſto immanique oppreſſis pondere; indigne tuliſſe cæleſtes ſpiritus tantam corporibus ſuis impietatis molem incumbere. O prudentiam tuam ſingularem, atq. pietatem prædicandam, qui nec paſſus es religionem tanto ſcelere violari, nec tam admirabile potentiſſimi imperij reliquū ornamentum deperdi: cum malis illud expiatum religionibus amplius latere tantum Romani imperij lumen noluiſti. Quo tuo beneficio futuro ſempiterno, & ſuam ſacroſanctus locus religionem, & Vrbs dignitatem recuperauerunt, dum quod vnum retinemus, idq. admirabile amiſſæ maieſtatis teſtimonium, quodq. illius potentiam imperij indicet atque teſtetur, cuius non alij, quam Orbis ipſius fines fuerint, in tenebris iacere amplius non es paſſus: in quibus etſi iuſte propter impietatem, quę in eo erat, latebat; impie tamen in eo continebatur loco, cuius religionem ſuperſtitione ſua conturbabat. certe miſere latebat propter dignitatem, quæ ex eo accedere religioni poterat atque Vrbi. Enimuero quoties animo, & cogitatione mecum repeto, quæ admirans ipſe oculis percepi, & vidi, cum nouis atque inuſitatis machinis, artificioque quodam ſingulari, tam vaſta moles, tamque immane ſaxum per aera ferretur, & quaſi e ſpelunca, in qua tot annos delituerat, ſolem, atque lucem appetens emergeret, auguſtamque illam, in qua tuo nunc beneficio conſiſtit, ſedem quęreret; mirari ſatis non poſſum tantum, tamque eximium opus, a multis propter gloriam concupitum, a nemine tamen propter difficultatē tentatum, tua felicitate glorioſiſſime perfectum. quo ſane arbitror reſtituendæ per te Eccleſiæ omen contineri. Quid enim gentilitij tui illi montes ac ſidus, quid ipſum ſalutare Crucis ſignum, quibus Obeliſcus ipſe decoratur, aliud declarant, quam SIXTO Pontifice, cuius laudes virtutum cæli regionibus definiuntur, Chriſtiani nominis fines eoſdem cum Orbis

 termi-

terminis futuros? Neſcio an me ſatis explicare potero,idque aſſequi, vt ſic mea excipiatur, atque exaudiatur oratio, quemadmodum ipſe ſentio: ſit enim plerunque, vt quod mente explicatum recte habeamus, æque tamen illud verbis exponere nequeamus. Ego Pater Sanctiſſime quoties ſublatis oculis tuum hoc incredibilis virtutis opus admiror, quamque illud gentis tuæ inſignibus, & illa ipſi, vtriſque vero ſanctum crucis ſignum conueniat, contemplor; toties mihi & felicitatis tuæ, & Eccleſiæ per te reſtituendæ omen, & illius reſtitutę monumentum extiturum ſempiternum videor intueri. Quis enim vel leuiter antiquitatis deguſtata doctrina non intelligat, cum videat, fuiſſe hoc duobus illis Cęſaribus monumentum dicatum, quorum temporibus Orbis ſalus & orta, & perfecta Chriſti Domini ortu, morteque eſt; quis inquam non intelligat, hoc ipſum iccirco tot plagas, atque ruentis clades imperij incolume euaſiſſe (quibus tamen illius ornamenta omnia extincta atque ſepulta fuerunt) vt Chriſtiani per te imperij aliquando ſuæ dignitati aſſerti orbiſque ab impijs, quibus detinetur, religionibus Chriſto vindicati trophęum foret ſempiternum? hoc montes ipſi tui, hoc ſtella, hoc ipſa crux prędicant, atque loquuntur. Fuit ſtella ſalutis noſtrę exortę mortalibus nuncia ſalutaris: In montibus abipſa Orbis origine ſemper & futuræ ſalutis arcana myſteria peracta fuerunt, & ipſa denique omnium noſtrum ſancta veraque ſalus fundata atque ſtabilita in montibus fuit. In montibus Chriſti Eccleſia & nata, & nunc, vt ſperamus, in montibus tua felicitate atque virtute, ipſiuſque Chriſti Domini clementia atque miſericordia reſtituetur. habebis ad victoriam tantam ipſam crucem ducem, quę optimo Imperatori Conſtantino Eccleſiæ male a tyrannis vexatæ liberandæ, eiuſque dignitatis ſtabiliendę dux optima fuit. Quę cum ita ſint, credo equidem reperiri poſſe neminem, qui hęc ſecum cogitans, quoties ad hoc religionis, Orbis, tuique principatus lumen æternum reſpicit, quin hiſce iuſtiſſimis de cauſis permotus, tuiſque e montibus oculis in cælum ſublatis non talia vota immortali Deo nuncupet. Felix felicis ſtella cuius exorientis lumine orbis vniuerſus recreatus eſt, ipſaque maxime Italia, quę latronum tempeſtates atque procellas, quibus miſere afflictabatur, ſedatas, atq. ſopitas vidit, quando te Beatiſſimus religionis ſanctæ vindex SIXTVS vindicem etiam ſtitit religionis, & fidei; faxit Deus Optimus Maximus.

ximus, vt tam ſalutaris ac felix tua lux auctori affulgeat tuo ad Chriſtiani dignitatem imperij recuperandam, quam olim fauſte, ac proſpere affulſit Regibus eiuſdem naſcentis ſtella imperij nuncia ipſo regnante Auguſto, de cuius iniuſta poſſeſſione Sanctiſſimi SIXTI munere tam clarum, atque illuſtre ſalutis orbis trophæũ Chriſto Deo aſſertum poſſides, atque exornas. Vos autem montes promiſſæ, partæ, atque adeo ſtabilitæ ſalutis indices futuri perpetui, eiuſdem etiam recuperatæ, & in omnem terræ orbem iterum propagatæ religionis,& fidei,vos, vos inquã Dominus ęternum poſteritati ponat monumentum. Tu autem crux, quæ fortiſſimo,atque religioſiſſimo Imperatori, tam lętum fauſtumque iter aperuiſti, ad victoriam de tuis hoſtibus reportandam, tu etiam eſto, Pontifici optimo, a quo tantũ ornamenti tibi acceſſit, optima dux ad omnem impietatis ſuperſtitionẽ abolendam,atque extirpandã.Hæc ſunt Pater Beatiſſime,quę quũ hoc vnũ immortalis virtutis tuę monumentũ admiramur, quilibet non tam tibi optat, quam etiã a te ſperat. huc ſpectant Muſarum omnium tam pij, chriſtianique cantus, quibus optimo iure te ſuum verum, ac Chriſtianum Apollinem celebrant, dum intelligunt tua pietate, atque virtute impij falſique Apollinis ſuperſtitionem deſtructam, atque euerſam eſſe. Auguſtum intelligo Apollinem ſæpius ementitum,cuius etſi prædicatur felicitas tanta,quę noſtris Imperatoribus ſolemni dum inaugurantur ritu optari deſiderarique ſoleat,cum tua tamen minime eſt conferenda. Equidem cum conſidero ipſe, & mecum admirans reputo, quantis te virtutum exornatum, atque cumulatum pręſidijs ad ſummum Orbis imperium vocauerit Dominus, quęque & quam admirabilia tam breui tempore peregeris, quæ hoc ſpatio alij ſi attingere eſſent aggreſſi, multum reip. conſuluiſſe putarentur: tum vero, quid cæli quid ipſę deniq. res de te loquantur, diligenter attendo: iam mihi videor te de orbe omni terrarum religioni chriſtianæ reſtituto triũphantem videre. Vt enim de tuis rebus geſtis ſileam, quę tantæ exiſtunt, vt dubitare neminem ſinant, quin hęc repurgati orbis tua propria ſit futura laus;non poſſum tamen hoc loco tanta in te felicitatis noſtræ documenta ſine ſcelere prætermittere. quod tamen nõ facerem, niſi & rebus a te admirabiliter geſtis illud magna ex parte iam comprobatum eſſet; eaque ieciſſes futuri noſtri boni fundamenta, quibus facile ſit omnibus augurari tantum maieſtatis, atque in-

crementi

crementi Chriſtiano Imperio per te acceſſurum eſſe, quantum quoti die a Deo precibus, atque ſacrificiis contendimus. Etenim, vt illud omittam, rerum conuerſiones futuras, ſiue illæ imperiorum origines, vel incrementa, ſiue illorum declinationes exitusve contineant, prodigiis Deo ita permittente ſignificari ante, prædicique ſolere. Quid aliud ſignificant, quid ſpondent illa initio Pontificatus tui a Virgine in Vrbe perpetrata miracula, ad cuius imaginem ferunt, & cæcos videndi & claudos recte ambulandi vſum recepiſſe, multoſque deſperata valetudine cum eſſent, conualuiſſe; quamque nullis medicamentis, exquiſitiſque per omnem vitam remedijs adipſci ſanitatem potuerant, eam puncto temporis paucis pie, & ex animo fuſis precibus aut recuperaſſe amiſſam, aut nunquam antea habitam tum primum incredibili cum voluptatis ſenſu percepiſſe? Quid vero ipſi cæli nobis de te ſperare iubent, qui te eodem in terris die a Deo Vicarium ſibi ſuffici viderunt, quo ipſi creati ſolis lumine colluſtrati atque decorati fuerunt? An nobis illud non ſpondent virtutum tuarum prȩclariſſimis luminibus, errorum quorum caligine orbis obſcuratur tenebras, omnes quam primum diſſipatum iri? Quȩ bona eo magis appropinquarȩ, atque certiora videri iam debent, quod vt annalium libris continetur, ipſis Vrbis natalitijs admirabili diuinæ prouidentiæ, nec obſcuro iudicio Pontifex maximus inauguratus es, vt quod iam rebus tantis geſtis adeptus es, nemo non iure prædicet, non alio debuiſſe ipſam Vrbem die reſtitutorem, atque conſeruatorem recipere, quam eodem quo primum conditorem ſuum viderat, nec alio ſecundum parentem, quam quo primum. Quo tempore cum ipſa cæli, terrȩque facies renouetur, atque exhilarari videatur, mitigatoq. rigore hiemis, atq. aſperitate remiſſa, vireſcant apricantes campi, cæloq. ipſo liberiore fruamur: ſane arbitror nō tam ipſarum ſtellarum tunc exorientiū conſpectu, quas ſorores fuiſſe nugantur veteres, quam virtutum tuarum, quæ vere inuicē ſorores ſibi ſunt, luminibus, ipſoq. auſpicatiſſimo gentis tuæ ſidere, tunc primū maieſtatis diuinȩ radijs decorato Orbi illucente naturā ipſam recreatā, & nouo quodam, atq. inſolito ſuauitatis genere elatā, noua etiam, planeq. inuſitata renaſcētis anni amœnitate gaudiū ſuum teſtari, nobis atq. declarare voluiſſe: vt hinc iam præſentire liceret barbaris omnibus, atq. nefandis religionibus ſublatis, quȩ vim, quæ cȩdes, quȩ immanitatē omni barbarie crudeliorem

liorē continent, ſanctā, veramq. per te pietatem, & fidem orbi reſtitutum iri vniuerſo: ita vt ad tuum exoriens ſidus & orbis & annus ipſe renaſcerentur. O beatiſſimæ ipſæ Hyades (ſic enim vocantur) quæ cum, vt arcanis ſacrarū litterarum continetur, poſt Oriona exorientes ipſos nobis compreſſa falſæ religionis hieme Eccleſiæ Chriſti doctores ſapientię imbre orbem abluentes ſignificent, te tunc primum Eccleſiæ eiuſdem ſolem conſalutarunt, cuius ſplendore virtutum atra impietatis hiems diſſiparetur. Quod vt nobis tot, tamq. auſpicatis, felicibuſque præſagitionibus promiſſum eſt, tuaque iam virtute magna ex parte tributum, ſic etiam barbaris, Chriſtianæq. pietatis hoſtibus tetra, diraque omnia execrandis prodigiis portenduntur, quæ illorum ruinam, atque euerſionem impietatis afferent: quod ſumma omnipotentis Dei clementia fit, vt dum vindictæ ſuę tempus differt, emergant illi interim e tenebris, quibus obruuntur, ſuoque cognito errore ad ſanitatem, tanquam ad ipſum cor reuertantur, ne ſe prius oppreſſos, quam erroris, in quo nunc verſantur, admonitos conquerantur. Etenim quid aliud verberatæ fulminibus, ipſiſque non ſuo more tumultuantis maris fluctibus diſiectę baſilicæ importuniſſimi, atq. teterrimi Turcarū tyranni, qui ſibi vno, eodemque tempore cælum ipſum, & mare infenſum vidit, ac ſenſit, quid aliud ſignificant, inquam, quam tibi legitimo Chriſti Domini Vicario tyrannidē illius belluæ breui conceſſuram, eamq. tua felicitate atq. virtute euerti debere? Quid porro deſtructæ fere, atq. deletæ portentoſis grandinibus hoſtium vrbes, illorumq. agri, atque ædes nouo quodam cæli furore ſanguine cruentatæ, quid aliud habent ominis, quam niſi reſipuerint, & ſcelerum pænitentiam egerint, debitas eos tibi Chriſti gregis Paſtori pœnas daturos, & quas ouium tuarum ſanguine polluerunt ędes, eaſdem ſanguineſuo ablu turos, atque expiaturos eſſe? Hoc tibi pollicetur illud ſanctiſſimæ crucis ſignum, quod ruentis atque præcipitantis Gręciæ ruinis ſepultum, ab eo tempore quo oppreſſa importuniſſimo tyranno antiquiſſima Chriſti prouincia miſere ſubiacet, reuulſo, atque euerſo procellis, tempeſtatibuſque immani monte, quo premebatur, lucem iterum, atque ſolem ſuperioribus menſibus conſpexiſſe fertur; nulliſque ſæuientis ęquoris fluctibus dirutum magis, quam ipſo vaſtiſſimi, quod ſuperſtabat, montis onere laceratū, locum ſuum retinuiſſe, quaſi iam tua auxilia aduentare præſentiat, quibus & ſuam

priſti-

priſtinam dignitatem recuperet, quæque non patiantur cui fluctus iure pepercerint, nec ſuam religionem violauerint, eam barbarorum impio, ac ſacrilego ferro dirui, atque euerti. Equidem credo hinc facile perſpici poſſe, quam tibi gratiam ipſa crux referre paret, quod tuo beneficio in principe orbis Roma de impietate,falſaque religione triumphet; quæ ſi quid cogitatione, atque ingenio aſſequor, huiuſmodi eſt, nec falli me puto, vt quando tu Beati Franciſci alumnus crucem ipſam honorificentiſſime extuliſti,cuius elatę ſacro, vt accepimus in orbem redunte die, Chriſti ſtigmatibus Franciſcus ipſe per ſummam gratiam decoratus, electus cæli ciuis eſt; ita tu non minus quam ipſe olim Franciſcus collabantem Lateranenſem baſilicam humeris retinere, atque fulcire eſt viſus, ſic etiam eam nunc non tam ædificijs vetuſtate collapſis, atque conſumptis a fundamentis excitandis, amplioreque atque auguſtiore forma, quam fuiſſent olim, reſtituendis, quam ipſius maieſtatem, atque religionem orbi reſtituendo, Lateranenſem ipſam baſilicam, qua nihil aliud quam ipſa Chriſti Eccleſia intelligitur, priſtinę ſuæ, debitæque auctoritati reſtituas, & aſſeras. Hæc ſunt,quę populis cunctis, orbique vniuerſo ſingularis tua, ac plane cæleſtis virtus promittit; hæc quæ nobis a te Chriſtus ipſe ſperare iubet, dum ad montem confugiendum, tanquam ad certum paratumque nobis auxilium præcipit. Ad montem inquam, de quo mirabiliter, vt ille ait, illuminat Dominus. A quo cum iam Chriſtianis gentibus omnibus illuxerit,in tuo nempe conſidens Dominus, ſupereſt, vt nunc orbi reliquo pulſis, atque diſcuſſis errorum caliginibus,quibus infeliciter inuoluitur, veritatis, atque pietatis lumen per te etiã infundat. Suppeditauit ille tibi omnia ad immortalem præſtantiſſimi huius facti gloriam comparandam.habes pijs conſilijs tuis Deum ipſum propitiũ, cuius brachiũ fortitudinis electo vncto ſuo numquã defuit: habes felicitatem quandam ſingularem tuarum omnium cogitationum ſociam;nec vero tibi virtus,vel animi magnitudo deeſt, non conſilium,aut induſtria,non copiæ,ceteraque neceſſaria ſubſidia ad res magnas atq. pręclaras ſuſcipiẽdas, & ſuſceptas perficiendas, qui tot, ac tanta,tam feliciter,celeriterque confeceris,vt magis admirari reliqui, quam ſe illa imitari vnquam poſſe intelligant. Niſi forte quis adeo eſt improbe malus,vt putet minus te Petri, vel Pauli auſpicijs,Eccleſiæ Romanæ fines propagaturum,quos pro tua

pietate, atque religione de impietate triumphare voluiſti, quam ipſa olim Roma Traiano, & Antonino ducibus imperium propagarit. Non tibi deſunt B. SIXTE, non tibi deſunt Reges, atque Principes Chriſtiani, quos non minus ac filios dicto audientes habes, quando tua prudentia eos non minus quam fratres amore, & fœdere coniunctos retines; quę vna eſt tuæ prudentiæ, vel præſtantiſſima laus, qui non modo Traianos, vel Antoninos virtute bellica, omnique genere copiarum adęquent; ſed longe etiã & peritia rei militaris, & animi fortitudine ſuperent. (quanquam huius quidem nulla belli adminiſtratio, ſed tantum conſeruati ſine bello imperij laus viget, cum contra illius non minus foris, quam domi virtus commemoretur; a quo ſi impietatem demas, Chriſtiano dignam principe virtutem reperias. Verum ne de omnibus Principibus Eccleſiæ propugnatoribus neceſſe habeam hoc loco dicere; nec enim vlla ſatis ampla oratio vnquam reperietur, quæ illud pręſtet, vnum ex omnibus nominabo Henricum Regem Chriſtianiſſimum, de cuius laudibus immortalibus futuris eo iucundius audire ſoles, quod ille ijs maioribus ortus cum ſit, qui ſemper huius tuę ſedis ſanctæ propugnatores, atque liberatores fuerunt, pro qua cũ infinita bella geſſerint, & innumerabiles barbarorum copias toties deleuerint, vt illius maieſtatem firmam ſtabilirent; facile reliquos omnes orbis principes hoc genere laudis vicerunt: vnus tamen hoc tempore eſt repertus Henricus Chriſtianiſſimus, qui non contentus tantam, tamq. præſtantem maiorum ſuorum gloriam virtute propria adæquare, illos etiam ſuperauit, in hoc vno laudis principatu, in quo ab illis reliqui principes omnes ſemper ſunt ſuperati. An quiſquam Traiani bellicas virtutes deſiderabit in Regibus noſtris, cum intelliget, Henricum tanquam alterũ Chriſtianiſſimumq. Herculem in cunis pene infantem impuriſſimos ſerpentes, teterrimo ſuo ſparſo veneno ampliſſimum regnum, Eccleſiæ firmamentum, atque columen labefactare conantes manibus compreſſos eliſiſſe? qui adoleſcens, imo verius puer adhuc cum eſſet, qua ætate reliqui vix hoſtem ſuſtinent videre, nedum cum illo congredi, toties imperator de tuis hoſtibus triumphauit, ea belli lege, vt quidquid hoſtiũ attritum eſſet, illud totum non ipſis hoſtibus, quibuſcum bellatum erat, ſed ſuo regno, ſuis copiis, ſibi denique periret, atque amitteretur: quando huiuſmodi ſunt ciuilium, atque inteſtinorũ

Henri Rex *ſtiani mus*

bellorum exitus, quibus detrimenti non minus ipſis victoribus, quam victis ſolet importari, omneque tumultuanti ipſi reip. damnũ cedere. tanta nimirum eſt optimi Regis & pietas in Deum, & aduerſus ſanctiſſimam tuam ſedem ſtudium, vt illius dignitati omne ſuum commodum poſthabeat ſemper, nec tam quid ſibi decreſcat, quam quid ſanctæ Eccleſiæ accedat curandum, atque procurandum exiſtimet. tanta animi virtus, atque prouidentia conſilij, vt & arma tanquam candentia aliqua ferra vitiatis atque deſperatis regni membris adurendis adhibere, & pietatis artibus, atque clementia, in quibus aliqua reſidet ſpes, ſalutem procurare omni tempore nunquam deſiſtat. quem ſi Dominus illis, quibus nunc diſtinetur, curis liberauerit, ſedatis atque placatis procellis, quibus ampliſſimum orbis terræ Regnum, Eccleſiæque propugnaculum tentatur, quod nobis & tua & ſua virtus ſperare iubent; quis iam tibi Traianum deeſſe queratur, cum tibi Henricum prẹſto videat eſſe, tanta animi virtute, prudentia, felicitateque præſtantem, quanta conſeruata a ſe Eccleſiæ Gallia, in quo nunc totus intentus verſatur, breui declarabit. Qui tantis copijs, atque prẹſidijs militaribus abundat, quanta ipſa Gallia non tam diuturno bello, in quo nunc verſatur, debilitata, quam armis exercitata præſtare poteſt; quæ tantis abundat opibus, vt exteris tam inuidioſẹ, quam Eccleſiæ ſalutares ſemper fuerint: certe quibus florentiſſimum regnum iam in annum ducenteſimum ſupra milleſimũ propagatum eſt: quæ tam numeroſis atq; bellicoſis gentibus exuberat, vt non modo Europam atque Aſiam Colonijs deductis repleuerint, tantumque barbaris etiam ipſis terrorem attulerint, vt nullus Rex ſine præſidio, vel amicitia Gallorum tuto ſe poſſe regnare crederet; ſed etiam quarũ victorijs non ita pridem maiorum noſtrorum memoria orbis totus illuſtratus eſt, ipſaque Europa ab importuniſſimis atque crudeliſſimis tyrannis liberata, innumerabilibus cẹſis, atque profligatis hoſtium exercitibus; quorum ſceleratis armis Romani imperij dignitas attrita atq; euerſa concidit, ipſaque maxime Italia ſepulta iacebat, omniſque Eccleſiæ ſanctæ dignitas oppreſſa tenebatur. Adſunt, adſunt Henrico etiam illi, & in bello & in pace Principes, quorum ſemper conſilia atque arma optimi, tuiq. ſtudioſiſſimi Regis voluntati egregie obſecundarunt, ſemperq. parata auctoritati tuæ conſeruandẹ fuerunt, quorum cum ſpectata virtus, rerumque geſtarum gloria

orbi vniuerſo notiſſima ſit, nec ad eam vllius oratione accedere quidquã poſſit: neſcio tamen quo te piaculo prætereo, Carole Borboni Card. Illuſtriſſime; Auenionis, quæ altera in Gallia Roma eſt, Legate Ampliſſime, Gallicæ Eccleſiç lumen, pietatis, religioniſque decus, atque præſidium: nobilitatis, virtutum, omniſq. eruditionis domicilium, & ornamentum. qui cum nobiliſſima inuictiſſimorum Chriſtianiſſimorumq. Regum proſapia ortus ipſos beatos Cælites generis auctores laudes, ſingulari tamen tua, planeq. diuina virtute perfeciſti, iudicari ne poſſit; plus ne illis retuleris, quam ab ijs acceperis ornamentorum; idque cum in omnibus ſemper, tum vel maxime quod illis tua virtute pepereris illum Eccleſiæ Gallicæ florẽ, Illuſtriſs. Carolũ de Vendoſme fratris filium, Cardinalem florentiſſimum, omniſq. memoriæ lumen futurum. Sed infinitus ſim, ſi quidquid præſidij Eccleſia habeat in Gallia cõner enumerare; attingere certe fuit neceſſe, vt vna hac parte propoſita facile intelligeretur, quam magna in reliquis ſubſidia ad ſanctiſſimas tuas cogitationes perficiendas haberes. certe optimum Regem prçterire nec potui, nec debui, cuius perpetuis curis, atque laboribus ipſam Eccleſiæ columnam Galliam, quę ruinam minari videbatur, nec ſine Europæ totius interitu concidere poterat, ſtare videmus incolumem. quod vnum longe præclariſſimũ eſt beneficium, quodq. tibi maximo Eccleſię Paſtori, maximus Rex præſtare, atq. exhibere poterat maximum. Quocirca, vt iam dicere omittam de maximis, inſtructiſſimiſque copijs atque firmamentis, quibus ſapientiſſima tua pro noſtra ſalute ſuſcepta conſilia innituntur, nec quidquam quid domi, quid in ipſa Italia gentium victrice habeas, commemorem; ſilere tamen ſine ſcelere non poſſum auguſtiſſimum orbis terrarum concilium, tuorum laborum atque curarum ſocium: illum dico Cardinalium conſeſſum ab ipſo Apoſtolorum conuentu deriuatum, & admirabili ſucceſſionis ſerie ſumma Dei prouidentia ad nos vſque tranſmiſſum, Eccleſiæ cuſtodem, atque conſeruatorem; in quo ſi pietas, ſi religio ſpectetur, ab ipſis Apoſtolis ortum agnoſcas; ſi nobilitatem, atque potentiam quæramus, Europæ decora in eo eſſe reperiemus. In quo tanta eſt prudentia, eruditio, probitas, grauitas, modeſtia, tantus in ſuprema poteſtate modus, vt omnia ita pietati, ſalutique communi tribuantur, vt & nobilitatem, atque opes alij, Regumq. & Cæſarum, a quibus originem ducunt

E 2 titulos

titulos virtute propria clariores, atque maiores efficiant: alij quos non ita maiorum imagines commendant, quoſque ardens ſua (ut ille ait) virtus ad ſidera euexit, ſe ipſos ſemper virtutibus vincere, atq. ſuperare conentur. cui principi Orbis terræ ordini cum tua prudentia acceſſio illa facta ſit, omnium ordinum luminibus ipſis electis, qua non tam patrum ipſorum numerus, quam virtutum plenior effectus eſt cumulus, eoſq. cum tibi ex illis curarum adminiſtros ſuffeceris, quorum integritas, prudentia, fides, planeq. perſpecta virtus, tanto eos dignos honore reddidit, vt laborum, vigiliarumq. tuarum ſocij efficerentur; quid iam eſt, quod tibi ad Orbem reſtituendum deeſſe queramur? Sed de illis nihil dico, vereor enim ne ſi pauca dixero, ineptus; ſi multa, infinitus ſim. Vnũ autẽ nominabo P. B. non tam nominis glorioſiſſimi tui, quam heredem virtutis futurũ. Te intelligo (Alexander Perette Cardinalis Illuſtriſſ.) quem ſi vnum e mortalibus cunctis feliciſſimum dixero, nondum tamen ſatis dixiſſe mihi videbor. Quid enim mortali vlli vnquam contigit ad virtutem, ad laudem, ad gloriam nominis ſempiternam, quo non affluas, quo non copioſiſſime abundes? Qui diuitijs, ætate, ingenio, honoribusque cum floreas, quibus multi ad perniciem ſuã abutuntur, tu contra illis tanquam optimis inſtrumentis ad pietatem, atque virtutem, quarum ardes amore, ita vteris, vt a tam excellenti, eximiaque virtute tua, recte oſtendas, in ampliſſimis honoribus tibi decernendis progreſſum ætatis expectari non oportuiſſe. declaras enim magna cum tua gloria, ſed maiori Eccleſię, cui natus es bono; ſenectutem non annorum numero, ſed virtutum cumulo ęſtimandam eſſe, cum ipſi hominis ſenſus cani ſint. Qui cum a Sanctiſſimo SIXTO, feliciſſimo Auunculo tuo magno, Orbiſq. parente maximo, a quo ipſa religio vitam recepit, ab eodẽ & generis ſplendorem, & fortunas ampliſſimas, & quod omnibus his longe præſtantius eſt, virtutem ipſam poſſideas; qua vna duce ipſe a ſe ortus ad proximã cęlo maieſtatẽ peruenit, ita per illius ſancta, atq. beata veſtigia graderis, vt quæcunq. a tuo Papio, virtute, omniq. doctrina præſtantiſſimo, vſuq. peritiſſimo nõ fucatæ, ſed ſolidę atq. germanę doctrinę, & eruditionis ad vitã, ad ingenium excolendum, atque inſtruendum, ipſumq. animum bene beateque informandum accipis, ex omnibus ſapientiæ officinis ſingulari quadam arte perquiſita; ea omnia vt domeſticis Sanctiſſ. Auunculi tui

exem-

exemplis habes comprobata, ſic etiam virtute propria efficis illuſtriora. O te feliciſsimum, qui cum omnibus & fortunæ, & animi bonis abundes, & floreas, tuorum bonorum verum rectumq. vſum non tam ex omni antiquitate preſtantiſsimorum quorumcunq. Heroum glorioſe repetitis exemplis edifcis, quam ipſo vno Sapientiſsimo S I X T O cognato tuo, orbiſque Domino propoſito tibi ad imitandum, cuius feliciſsimis veſtigijs inſiſtens, magniſque paſsibus illius gloriam adęquare, vel etiam ſuperare contendens, quid de te, Alexander Illuſtriſsime, tantæ firmata ſtirpe virtutis expectare orbis poteſt, niſi illum, qui Orbis ipſius teſtimonio mortales omnes virtute atque dignitate vicit, a te aliquando vinci, ſuperarique debere: quod eo facilius adepturus es, quo ille nulla maiorũ ſuorum laude, quod intelligatur, innixus propriæ laude virtutis Orbem vniuerſum repleuit, cum tu virtutum tuarum luminibus illius etiam memoriam meritorum coniunctam habeas. quod magni tibi eſſe debet: cum enim ſemper nobilitati boni omnes faueant, quod vtile ſit, Principes viros maioribus ſuis dignos reperiri, plurimumque valeat bene de rep. meritorum memoria, quis te non in oculis ſemper habeat, non te præcipuo quodam ſtudij genere proſequatur, tuiſque omnibus commodis, atq. honoribus inſeruiat, & faueat? cum te illi vt ſanguine, ſic etiam virtute coniunctum intelligat, cuius beneficijs Chriſtianum imperium ſtat, breuiq. priſtinam maieſtatem ſuam recepturum eſt. Sed me prius vox, ipſaque vita deſerant, quam tuæ Sanctiſsime Pontifex, vel tuorum laudes deficiant, a quibus cum me obrui intelligam, nec ſuum in tam vaſto, atque immenſo illarum Oceano amplius retinere curſum oratio poſsit; vela ipſa cõtraham, & doctioribus, atq. eloquentioribus tantum munus libenter relinquam, tuas laudes celebrandi. Equidem cum viderem, omnes qui Muſis, qui litteris aliquid poſſent, quos pietatis, quos religionis amor teneret, & præſentis, & futurę tuæ felicitatis elogia prædicare, putaui etiam mihi experiri licere, quemadmodum concentu meo communem tuarum laudũ Orbis harmoniam iuuare poſſem: in quo quidem conatu, ſępe fractus atque debilitatus elangui; cum meas uires ad ſempiternam meritorum, tuarumq. virtutum maieſtatem cõferrem: ſed confirmatus atque erectus illa, quam toties in te expertus ſum, humanitate atque clementia, progreſſus ſum longius: nec vero modum mihi

ſtatuere potui, quod indecorum eſſe, minimeq. conuenire puta-
ui, cum viderem non Romam modo, non Italiam, ſed ipſam Euro-
pam totam laudibus gloriæ tuæ perſonantem, ſuumque erga te ſtu
dium omni monumentorum genere teſtantem, ſi vna Auenio al-
tera Eccleſię ſedes, atque domicilium in communi, tantoq. popu-
lorum omnium gaudio ceſſare videretur, maximis pręſertim tuis cu
mulata, atque ornata beneficijs, quibus illam, omnemq. ſubiectam
ſibi prouinciam a funeſto Galliæ incendio incolumem conſeruaſti.
Ad quem cum ſuperiori anno tanquam ad parentem, in quo vno ſa
lutis ſpes omnis erat, confugiſſemus, noſtra ardente vicinia, ipſaque
flamma parietes iam noſtros populante, amiſſo conſeruatore noſtro
atque cuſtode Georgio Armaignaco Cardinali optimo, quem no-
bis matura quidem ſatis ætati, gloriæq. ſuæ, ſed nimis certe ſaluti
noſtræ immatura mors rapuit; eo præſertim tempore, quo ipſe no-
ſter ſecundum te parens, Carolus Cardinalis Borbonius Legatus
noſter ampliſſimus (etſi illius in nobis habitat mens) tamen om-
nem curam, operamq. ſuam Galliæ erigendæ atque ſubleuandæ in-
tendebat, cuius ſalute noſtra etiam ſalus continetur. quis inquam
tanto ſtudio parens vnquam cadentes liberos ſuos erexit, quanto
tu nos ab ipſis tunc fati faucibus eripuiſti, nosq. ſaluos a flammis,
quibus vicinæ reliquæ prouinciæ crudeliter ardent, conſeruaſti?
duobus ſapientiſſimis Vicarijs tuis rep. noſtra commiſſa, quorum al
terius multa, magnaq. iam tunc erant, maximaq. nunc ſunt in remp.
noſtram, ipſamq. Eccleſiam merita; alterius vero iampridem perſpe
cta tibi virtus omni mea eſt commendatione maior. Putaui B. P.
liberandam mihi eſſe patriam meam, quę iure ſuo ortus mei partem
ſibi vendicat, a tanto erga te Parente atque conſeruatore ſuo ingra
ti animi vitio, in quod videri poterat incurriſſe, niſi conatus ei eſ-
ſem ſubuenire. In quo quidem pręſtando, quod illius dignitati ma-
xime conuenire duxi, ipſius Vrbis Romę exemplum ſum ſequu-
tus, a qua cum tibi viderem ſtatuam in æde Capitolina ſacratam
eſſe, perpetuum, vt optamus nominis gloriæque tuæ indicium po-
ſteritati futurum; exiſtimaui me recte atq. ordine etiam facturum,
ſi huius alterius atq. ſecundæ Romę nomine, non corporis, ſed ani-
mi, virtutumq. tuarum tibi ſimulacrum atq. ſtatuam dicarem: non
illam quidem Phidiæ vel cuiuſdam dicendi Praxitelis arte deſcri-
ptam vel elaboratam, quales Vrbs ipſa multos poſſidet; ſed tamen
illius

illius forte opus artificis, quod eos ipſos eloquentię Praxiteles ad idem aggrediendum excitabit. Dedit tibi Roma & tuę virtutis, & ſui erga te amoris teſtimonium maximum: ſed tamen id dedit, quod & ſua natura varijs caſibus eſt ſubiectum, & vt nullis caſibus offendatur, tamen & tempore ipſo conficietur, & non niſi vno cernetur in loco, in quo etiam dum erit, tamen a plurimis eſſe ignorabitur. At quę litteris commendantur, & nullas ſæuientis fortunę clades reformidant, & ab omnibus celebrata, ipſa temporis diuturnitate non modo non obteri, vel conſumi poſſunt, ſed magis cum ipſa vetuſtate vigent, maioraque atq. admirabiliora redduntur. Equidem maxime pertinere, & ad noſtrę ætatis gloriam, atq. decus, & ad omnem poſteritatis inſtitutionem duxi, res tuas geſtas litteris commendari, quod reip. expedire ſemper ſit comprobatum, Principis vitam poſteritati prodi: vt qui virtute præditi vixerunt, laudemq. Principes ſunt adepti, ſuo exemplo ceteros permoueant atque inflamment ad virtutem: qui vero ita vixerunt, vt eorum vita vituperationem habeat, deterreant poſteros a vitijs, quæ tantã cultoribus ſuis ignominiam afferre conſueuerunt. multi enim, qui minus ipſa virtute permouentur, cuius guſtum non habent, ſaltem ipſa gloria, cuius cupiditate omnes incenduntur, ne mortui male audiant, ſe ipſos cohibebunt, bonorumque, ac tui ſimilium principum nomẽ ęmulabuntur. Vt enim neminem huius, vel illius generis enumerem, cum exemplorum plena ſint omnia. tua, tua Pater Beatiſſime præclariſſima facta & priſcis Patribus inuidiam virtutis plenã, dum a tua gloria ſuam ſuperari intelligent, & poſteris admirationem adferent, dum ſe æmulari quidem virtutem tuam; aſſequi autem, vel adæquare poſſe diffident. tanta nimirum reſtituti, atq. repurgati orbis tua eſt futura laus atque gloria, dum infinitis ſempiternæ poſteritatis ſeculis celebrabitur, requieuiſſe manum Domini in Monte Alto, in eoq. triturato Moab pręcipitaſſe faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam, quam orditus eſt ſuper omnes nationes. O diem illum optatiſſimum, cum immortali Deo ſupplicationibus, omnibuſque cælitum templis ſingularibus lętitię ſacris decretis, ipſe te orbis terrarum triumphantem ſpectabit, fauſtiſq. acclamationibus parentis ſui SIXTI nomen feliciſſimum vſurpabit; populis omnibus nõ in ſeruitutem redactis, ſed ex peccatorũq. ſeruitute qua tenẽtur, a CHRISTO IESV virtute tua

liberatis:

libertatis non collo vinculis alligato manibusq. reuinctis ante cur rum tuum deuictis gentibus crudeliter actis; ſed in ſinum Eccleſię, vnde illos furentium luporum vis abripuit, benigne reductis. O bea tiſſimum diem illum cum congregatis ouibus tuis omnibus, & tu il las, & te illæ Paſtorē agnoſcent ſuū. Quod cū nobis eximia tua planeq. admirabilis virtus ac pietas promittant, ipſeq. Deus iubeat ſpe rare, Accipe Sanctiſs. Pater hoc ineunte anno hæc, nō tam illa quidē a me, quā ab Orbe vniuerſo concepta vota : ſicq. ſtatue hęc mor tales omnes tibi nunc per me, & ad Dei gloriam, tuamq. laudem, & ad ſuam ſalutem ipſi rerum omnium Parenti vota facere, a quo vt ipſa principium duxit, ſic & ad ipſum etiam finem ſuum referre oratio debuit.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE